

4688

DISSERTATIO GEOGRAPHICA,
DE
**SITU REGIO-
MONTI,**

Quam

ADJUVANTE DIVINI NUMINIS GRATIA,

Suffragiō

Amplissimae Facultatis Philosophicæ,

I N

ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ

Auditorio Philosophicō,

P R A E S E S

M. MICHAEL HOYNOVIIUS,

&

R E S P O N D E N S

H E N R I C U S Bartsch /

Pruss.

ANNO 1787. LXXXVII. d. XIX. Martii.

Publico disputantium Examini sistent.

R E G I O M O N T I ,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND.
ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

114

INCLYTÆ REIPUBLICÆ PALÆOPOLITANÆ
PROCRIBUS GRAVISSIMIS,

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, atq; CONSULTISSIMIS
DOMINIS,

DN. FRIDERICO von DERSCHAU /
SERENISS. ac POTENTISS. ELECT. BRAND. Supremi in
Prussia APPELLAT. JUDIC. ADSESS. Spectatissimo,
CONSULI dignissimo,

ORDINIS QUE SENATORII MEMBRIS,
DN. CYRIACO HESLERBERGER /
PRO-CONSULI MERITISSIMO,

DN. HENRICO BARESCH /
PARENTI OBSERVANTISSIMO,

EX II 297
d. Radke
DN. GEORGIO EEBEL /

DN. FRIDERICO HESLERBERGER /

DN. ANDREÆ BROCK /

DN. FRIDERICO SAHRENHEDE /

DN. GEORGIO DÆMER /

DN. JOHANNI WESLEMSEN /

DN. GEORG. WILHELM. MÜHLKÜNEBELL /

DN. PETRO SCHWENNER /

ut &

DN. JOHANNI BREDEL /
SECRETARIO FIDELISSIMO,

PATRONIS MEIS HONORATISSIMIS,

Specimen hoc Academicum
submisæ offero

HENRICUS Bartsch.



Ari Geographiam Mathematicam, adeò certum ac exploratum est, ut Geographus dicū non possit, qui non est Mathematicus. Quavis enim objectum Mathematicæ sit $\tau\delta\epsilon\zeta\pi\alpha\lambda\sigma\tau\omega\zeta$, h. c. à materia separatum, juxta L. I. de animâ c. i. t. 17. cum quô confer L. VI. Metaph. c. 1. L. II. Phys. c. 2. L. I. Post. Anal. c. 13. t. 15. L. VII. Metaph. c. 10. L. IX. c. 6. L. III. de Cœlo c. i. t. 6. Plutarch. L. IX. Sypos. quest. 2. Eustratium in L. VI. Eth. c. IX. t. 19. Thom. de Aqv. part. I. S. Philos. qu. XXXIV. art. 1. Ægid. Roman. Comment. in L. II. Phys. c. 2. Qu. II. Chrysost. Javell. in L. III. Metaph. Qu. I. Andr. Cæsalpin. L. I. Qu. Peripat. qu. IV. Zabarell. in L. I. Post. t. 78. Franc. Piccol. Gmd. V. Philos. Moral. c. 28. Geographia autem circa substantiam, scilicet terram, seu ut recentiores loquuntur, globum terr-aqueum versari videatur: Interim quemadmodum prius tantum de Mathesi purâ, in cuius classe Geographia non numeratur, intelligitur; ita posteriorius assertum, cum hac restrictione admitti debet, terram non absolutè spectatam, Geographicæ considerationi inservire, sed secundum superficiem suam, quatenus hæc certis passionibus, ut figuræ & magnitudini subjacet, quatenus mensurari, inhabitari, ac ad cœlestis Sphæræ circulos referri potest, quod ipsis subjecti formale, seu modus considerandi absolvitur, quod alias secundum materiale suum, & communem conceptum, à pluribus scientiis expendi solet. Necesse statem hanc studii Mathematici in Geographiâ passim agnoscunt, qui quantum illi inde accedat emolumentum, serio expendunt. Princeps Geographorum Strabo, qui Sec. I. floruit, his verbis, ex versione Gvætini Veronensis, & Greg. Trifernatis desumptis L. I. Geogr. f. m. 6. utitur. Hac Geographia species cuidam rerum sublimium, & Geometria ea tractationi videtur esse conjuncta, qua sic terrena cum cœlestibus in unum conjungit, ut propinquâ maxime existentia. Clarius ista L. II. exponit, ubi postquam Geometriam, & Astronomiam Geographis commendavit, ita porrò loquitur. Primum nostri mundi sitam ex-

ponere oportet, quantus est, quali figurā, quali naturā sit, & quōnam modō ad universam terram sese habeat. Hoc enim terra Scriptoris proprium est officium. Postea ad terrarum singula, atq; maris, prout atinet, accommodare sermonēm, quod tamen ita accipiendum putat, ne quis neglectis limitibus, more Eratosthenis, in Geographicis Mathematicis, & in Mathematicis Geographum se gerat. Inferior aetate Cl. Ptolemæus, idem apertissimè inculcat, & tanquam discrimen inter Chorographiam, ac Geographiam constituendum allegat. Verba ejus in Edit. Joh. Ant. Magini Arnheim. 1617. excusā L. I. Geogr. c. i. sic habentur. *Illa* quidem (sc. Chorographia) *baud* quaquam Mathematicō indiget institutō. *Hic* verò (in Geographiā) pars ejus præcipue requiritur. Considerare enim oportet, & totius terre figuram, ac magnitudinem, nec non situm ejus ad cælum, quō cognita ipsius pars quanta sit & qualis, recenseri possit, insuper & loca ejus singula, sub quibus cœlestis sphæra sita sint parallelis, ex quibus & noctium & diērum magnitudines, & quānam stellæ fixæ verticales fiant, & quā super terram, quæq; sub terrā ferantur semper, accomnia, quæ de habitationis mitione connectimus percipi possunt. Ex recentioribus inter multos alios vide G. J. Vossium L. de universæ Mathes. Nat. & Constit. c. XLII. qui docet Geographiam bifariam tractari debere *magistrinæ* & *inventoræ*, ac propterea totidem ejus partes constituit, item Celeberr. Dn. M. Concium in Proœm. Geograph. § 1 ubi Geographia parte Mathematicā spoliata, truncus sine capite vocatur. *Hæc* cum ita sint, nemō vitio vertere potest Geographo, quando methodum à Raphaële Volaterano, & Joachimō Vadianō observatam relinquens, nudæ locorum recitationi, vel rerum in eis gestarum commemorationi non acquiescit, sed insuper respectu cœli habito, Mathematicè situm illorum determinat, quod præcipue sit, quando sub quō longitudinis & latitudinis gradu hæreant, inquirit.

§. II. Problema nostrum explicaturus inclytus Linemannus in Delic. Calendariogr. an. 1645. qv. i. sic exorditur. Diese Frage / wie sie dem gemeinen Mann fast sehr tunzel fürfällt / so lieb wird sie seyn den Liebhabern der Astronomie, wie auch denen / die ihre Lust in den Geographischen Tafeln zu suchen / und zu büssen pflegen. Quod ad prius attinet, non ignotum est, quam mira sint vulgi de rebus Mathematicis

judi-

4870

judicia, non diversa à Diogenis iocō, qui aliquem de rebus coelestibus
observans differentem, exclamavit: ποσὶν πάρεστι τὸ σχέδιον
Quando de cælō venisti? Diog. Laërt. L. VI. p. 389. Posterior nemo
negabit, cui propriō documentō innotuit, quod tabulae longitudinum
& latitudinum, quas Mathematici passim exhibent, multum invicem
discrepant, & propterea plurimis erroribus obnoxiae sint, ut sèpè non
sine mulctâ querentem dimittant. Voluit hoc indicare Varenius, qui
L. III. Geogr. Gener. c. XXXI. Propos. I IX. mod. 5. sic de suâ tabulâ
sentit. Collegi eam ex variis Auctoriis, attamen incertos esse plerosque
numeros non inficior, & propterea unicuique Auctor sum, ut cognitis
magis certis hac debeat, & illa substituat. Exemplum Schottus de Ro-
mâ allegat, cujus longitudinem Clavius 36. Gr. 30. M., Keplerus 36.
Gr. 40. M., Varenius 36. Gr. 15. M., Hues 42. Gr. 30. M. determinat
Conf. Appendix L. XII. Curs. Mathem. f. 376, ubi hæc insuper addit.
*Ex his patet, quemcunq[ue] sequaris Auctorem, non fore te immunem ab
erroribus.* Idem infra ex longitudine & latitudine Regiomontanâ, &
variis falsò assignata ostendetur. Interim usum non mediocrem pro-
blematihsus solutio præstat. Cognitâ enim longitudine & latitudi-
ne loci alicujus, determinari potest, siue Orientalis an Occidentalis,
Septentrionalis an Australis, cum absolutè spectatus, tum collatus cum
aliis: v. c. siue Hafnia magis Orientalis, quam Londinum, & ultra ha-
rum urbium, Septentrioni vel Austro vicinior judicari debeat. Co-
gnitâ longitudine & latitudine locorum, distantia eorundem investi-
gari potest, item differentia meridiei, & reliquarum horarum totius
diei, imo quantitas longissimæ diei innotescit, quâ perceptâ, sub quo
parallelō & climate locus hæreat, advertitur. Insuper elevatio
Æquatoris supra Horizontem dati loci; distantia Poli ab ejusdem Ze-
nith, nec non differentia Zonæ, perspectâ longitudine ac latitudine
eruitur. Paucis. Situs loci Geographicè determinatur.

§. III. Etenim (1.) situm loci alicujus Geographice determi-
nare, est certi vel puncti, vel spatii, in superficie globi terr-aquei con-
tentи, respectum ad circulos sphæræ coelestis ostendere. Hoc vult Pto-
lemaeus, quando l. c. asserit, Geographi munus esse, non tantum ter-
ram, ejusque cognitam partem, sed insuper loca ejus singula, sub qui-
bus coelestis sphæra sita sint parallelis, considerare. Præterea (2.) idem

Locus Ichnographicè delineari potest. Differt hic modus à priori, quod
iste nullum respectum cœli involvat, ille autem cœli, & scientia quæ
circa cœlum occupatur, i. e. Astronomia rationem habeat, eamque
ob causam prior Geographo, posterior Chorographo relinquatur, jux-
ta illud: *Ubi desinit Geographus, ibi incipit Chorographus.* Ichnogra-
phia ab ixvès quod vestigium seu plantam, & ἔργῳ φωνῇ, quod describere
denotat, nomen desumit. Quemadmodum namque planta hominis,
figuram sui terræ imprimit, quæ etiam remotò pede permanet: ita
quoque artis hujus ministeriō, domūs, urbūs, vel regionis figura char-
tæ inseritur, & corpore archetypō absente, eam comitatur. Prouti lo-
cus affectio est corporis naturalis, secundum illud Augustini ex Tom. II.
Oper. Epist. L VII. ad Dardanum. *Spatia locorum tolle corporibus,*
minusquam erunt, & quia minusquam erunt, nec erunt: sic figura etiam
locum corporis ambit. Ichnographicè ergo urbs aliqua describi di-
citur, quando secundum latera, angulos, longitudinem, plateas, &
flexus exprimitur, quæ ratione non solum urbes & munimenta, verum
insuper totæ regiones repræsentantur, prout ita Kircherus ope Panto-
metri sui, regionem montanam à Moguntiō distictu Heidelbergam
iusque, jussu Archi-Episcopi Moguntini delineavit. Imò Ichnographia
subterraneorum locorum perficitur, de quā problemate leg. D. Erasmi
Reinholdi, celebris superiori seculō Mathematici, peculiaris tractatus,
anno 1574. editus. Singula hæc ut è majorem nitorem foenerentur,
pictoriæ artis adminiculis exornari solent. Ultimur autem voce Ichno-
graphiæ hic paulò latius, cum alias Orthographia, & Scenographia
ab ea distingvi soleant. De modō Ichnographiæ urbium suscipienda
consule Ambros. Rhodii Mathef. Militar. Propos. XLII. Geom. Christ.
Clavii Tom. II. Oper. L. III. Geom. Pract. Probl. XLII. Christ. Nottnag.
L. II. Geom. Sect. II. Aphor. 468. & 469. B. D. Ægid. Strauchii Aphor.
L. XIX. Geod. Casp. Schotti L. VI. Curs. Mathem. part. VII. Geom.
Pract. Propos. II. & III. Tob. Beut. part. I Geom. L. VI. Propos. XXIX.
Denique (3.) situs urbis alicujus Historiæ describitur. Adhibetur tunc
cum historia naturalis, & montes, flumina, ac maria urbem tangen-
tia memorantur: tum civilis, & mores civium, ac forma Reip. deno-
minantur. Accedit expositiō rerum gestarum, quæ si urbi ei propriæ
fuerint, veluti charactere quoddam illam ab aliis distingvunt, ac eti-
mo

ignota sit, istis circumstantiis situm ejus ostendunt. Ex gr. situm ut-
bis Constantinopolitanæ Geographice expressurus, inquies, quod (jux-
ta Tabulam Varenii) sub Latit. 43. Gr. 5. M. & Longit. 56. Gr. o. M. ha-
reat, & quidem in Zonâ temperatâ Septentrionali, sub initio Parall.
13ii, & Climatis 7mi, quia diem longissimam habet 15. H. & 5. M. de-
finitam. Ichnographicè situm ejus delineaturus dices, figuram ur-
bis ferè esse triangulam, cuius basis est pars ad occasum, vertex autem,
pars ad ortum directa, sed lateribus disparibus. Latus quippe Occi-
dentalis ab angulo sinu lunata curvaturam admittit, Australe flexum
habet cā latitudine, ut si ab angulo ad angulum linea recta extendere-
tur, sinum maris interciperet, in mediō largum, duobus fere stadiis;
Septentrionale quoque arcus instar porrigitur, in mediō flexu duos ar-
culos habentis. Si tria hæc cornua abscederentur, urbs maneret qua-
drata, oblonga, aliquanto plus milliari lata, ter ferè tanto longior
quam latior. Interim ambitus ejus nondum 13. milliar attingit. Si-
milis esse videtur aquilæ pandenti alas, obliquè intuenti sinistrorum.
Historicè situm ipius manifestabis, si asleras, esse pen-Insulam, quam
tribus partibus mare alluit: à Septentrione sinu Cornu vocatō, quem
in Europam egerit Bosphorus, ab Oriente Bosphori extremis faucibus,
à Meridie Propontide, de quibus conf. Petrus Gyllius in Præfat. Descrip.
Constantinopolitanæ, & L. I. Topogr. ejusdem c. 4; si dicas, esse Me-
tropolis Imperii Tureici, cuius forma est ἀρχὴ δεκατονή herile im-
perium, seu dominatus, alias imperium barbaricum, cuius vim & po-
testatem tyrannico imperio persimilem ac finitimam esse, testatur Arist.
L. III. Polit. c. 14, esse antiquum illud Byzantium, olim felicius Duci-
nomine, quam deinde Imperatoris augustâ purpurâ eritescens, anno
1453. d. 29. Maii expugnatum, cuius cives justi. DE I iudicio, ejusdem
Spiritus S. festo (de cuius processione à Filiō cum Latinis dimicabant,)
illa acceperunt uulnem, quæ eorum Dominis extrema fuerunt funera.
Cornel. à Lapide Comm. in c. I. Ecclesiastici v. 9. f. 53. Qando ergo Geo-
graphus situm urbis determinat, ea quæ Ichnographica sunt, vel omit-
tit, vel leviter tangit. Utrumque dum facit, excusari potest. Si pri-
us, Geometriæ practicæ id munus relinquit. Si posterius, jure sub-
stitutur, & disciplinam suam superiori, scilicet Geometriæ subordinari
ostendit, utpote quæ etiam scientiam magnitudines sensibiles measu-

randi, quam Aristot. L. II. Metaph. c. 2. *γεωδαιτιαι* vocat, comprehendit. Præcipue autem Geographicè, & tum Historicè locorum situm exprimit Geographus. Ambo hæc sine ullò vitiò attendere potest. Cum enim Mathematicæ pars sit Geographia, quis vetet, ut non Mathematicas affectiones terra locis applicet? Cum porro Geographia præterea Historie pars sit, nihil obstat, quò minus Geographus in descriptione locorum historiam assumat? --- --- Alterius sic

Altera poscit opem res, & conjurat amicè.

In præsenti consideratione, situm Regiomonti secundum modum ejus præcipuum i. e. Geographicè determinabimus, quod ut commodè fiat, prius de longitudine, & latitudine Regiomontanâ solliciti esse debemus, quibus cognitis, reliqua, quæ ad situm loci Geographicè delineandum requiruntur, facilius indagantur.

s. IV. Ut locorum longitudines & latitudines, exactius determinarent Geographi, universalem ad id munus elegerunt normam. Äquatorem circulum eum appellant, non ideo, ac si ē eum motu suo attingens, æquinoctium in totâ terrâ efficiat, prout hanc verborum libertatem adhibent Briderfertus Ramesiensis in *Glossâ ad Bedæ L. de Naturâ rerum c. 9. Tom. II. Oper. Joh. Lerijs Histor. Navigat. in Brasil.* c. IV. f. 29. Caspar. Peucerus Doctr. de Circul. p. 121. Sebalt. Theodor. Winsheim. part. III. Qu Spher. p. 129. Joh. Henr. Alsted. L. XVII. Encyclop. part I. Uranom. c. III. Reg. II Robertus Hues Tract. de Globis c. II. Philipp. Cluver. L. I. Introd. Geogr. c. III. & Ricciol. L. I. Geogr. c. III, cum hoc neque de sphærâ parallelâ, neque de omni sphæræ obliquæ elevatione dici queat: sed quod globum in duas partes æquales cinguli instar dividens, incolis sphæræ rectæ æquales nocti dies semper exhibeat. Est verò Äquator veluti Metropolis locorum cœli & terræ, ad quam hi aliorum circulorum ope reducuntur. Hoc ut fiat, in 360, more cuiuslibet circuli majoris, communi artificum consensu dividitur gradus, quibus tanquam digitis, statua hæc Mercurialis, puncta gradui cuiilibet è regione opposita monstrat, ut ita punctum etiam extra Äquatorem constitutum, in ipsò Äquatore locum, & ve- luti jus civitatis habeat. Sic ex. gr. locus sideris alicujus alias est *Phy- sicus*, quem ipsi natura tanquam proprium assignavit, alias *Opticus*, in quò oculus illud deprehendit, ut cum Sol propter refractionem supra

Hori-

40 12

Horizontem appetet, cum tamen revera infra euultateat, in quo eatu
locus verus à viso multum differt: alias *Astronomicus*, quem in Äquatoris gradu è regione positò obtinet, ad quem dignoscendum, Ascen-
sio recta observatur, juxta quam in Sphærâ rectâ, sidus cum suò corre-
latò, simul dritur & occidit. Eadem in Sphærâ obliquâ per Circulum
declinationis inquiritur. Quoniam autem ipse Äquator non ubique
præfens esse potest, utpote per medium tantum globi terrestris decur-
rens, per vicarios suos, & locum-tenentes in aliis punctis compareret.
Vocantur illi Paralleli, quia Parallelis Äquatori circulis constituuntur.
In his queruntur loca terræ, sive nota sint sive ignota. Si nota sunt,
missò à Parallelò ad Äquatoris gradum è regione positum veredariò,
qui est Meridianus secundus, cuiuslibet loci Zenith transiens, situs eo-
rum ad Sphæræ circulos relatus, exactius determinatur. Si ignota, spa-
gitur ab Äquatore explorator Meridianus, qui delapsus in Parallelum,
desiderati loci situm manifestat.

S. V. Ductum Paralleli, (in Sphærâ rectâ Äquatoris,) *longi-*
tudinem, ductum Meridiani, *latitudinem* appellare consueverunt Geo-
graphi, vocibus non tam propriis, quam usu receptis. Qui primò ter-
minos latitudinis, & longitudinis globo applicare cœperunt, duplice
ex causâ reprehensionem mereri putantur. (1.) Affectione corpori oblon-
go propria, nequit esse affectione corporis sphærici. Longitudo & latitudo,
sunt affectiones corpori oblongo propriæ. E. Major probatur, quia pro-
prium unius, nequit esse proprium alterius rei. Minor inde stabilitur,
quod non solum communis loquendi usu, verum etiam à Geometris in
figuris inordinatis, extensionum inæqualium ea quæ est longissima, pro
longitudine, brevissima pro latitudine assumatur. (2.) Ubi æquales
sunt extensiones, ibi nulla differentia inter longitudinem & latitudi-
nem. Atque circa sphærām materialem æquales sunt extensiones E.
Major probatur à causâ efficiente longitudinis & latitudinis, quæ non
alia est, quam differentia extensionum. Longum dicitur comparatio-
ne brevis, ait Scalig. Exerc. CIII. sect 4. Hinc in figuris ordinatis, ut tri-
angulo æquilatero & quadrato, non est differentia inter longitudinem
& latitudinem, ideo quia extensiones sunt æquales; vide quæ Scalig. l.c.
de corpore cubicò differit. Minor inde confirmatur, quod circulus,
in quo numeratur longitudo, & in quo numeratur latitudo, uterque sit
maximus, ille quidem fundamentaliter Äquator, hic autem Meridia-

bus. Quia enim hi se mutuò bisariam secant, sunt circuli maximi. Theodos. L. I. Sphær. Propos. XII. ac quia sunt maximi, sunt inter se æquales. Clavius T. III. Oper. Comm. I. in c. 2. Sphæræ Joh. de S. Bosco Prop. II (3.) Huc accedit auctoritas recentiorum quosundam, quibus voces longitudinis & latitudinis in Geographiâ displicere videntur. Ita Varenius L. III. Geogr. Gener. c. 31. Propos. I. Meò quidem iudicio, confusionis vitanda ergo, præstaret hæc usurpatione vocabulorum longitudinis & latitudinis abstinere, & pro illis exhibere hæc: distantia ab Äquatore, distantia à primō Meridianō. Cum igitur his objectionibus aliquid roboris inesse putetur, dicendum primò erit, quid Geographos moverit, ut longitudinis & latitudinis voces globo terræ applicare cœperint, deinde quid propriè latitudo & longitudine in Geographiâ significant, & in quâ significatione, præsenti in materia sumantur, deniq; quid ad oppositas rationes sit respondendum.

S. VI. Solliciti de causis, propter quas longitudine & latitudo globo terrestri applicari cœperit, & quidem cum tantâ diversitate, ut pro latitudine assumpta fuerit, id initio fatemur, quod minus propriè, & tantum secundum Analogiam, longitudine ac latitudo figuræ Sphæræ competat, utpote corpori & figuræ oblongæ propria. Similitudo hæc non caret fundamentō. Si enim apud Geodætas, imo communi loquendi usu, longissima extensio rectè vocatur longitudine, brevior latitudo, propter duplē rationem, ad terram relata esse colliguntur. Unam allegat Varen. l.c. quæ hæc est. Assumi jubet peripheriam semicirculi, ductam ab unō puncto ad oppositum, atque hanc lineam, unam extensionem superficie illius constitui debere. Pro alterâ extensione, peripheriam totius circuli, priorem in mediò ad angulos rectos secantem, accipiendam esse monet. Quia ergo extensio circuli, productior est extensione semicirculi; apparere inde, cur prior longitude, posterior latitudo dicta fuerit. Atque ita quidem, juxta ejus præceptum, rectè conciperetur differentia longitudinis & latitudinis. Si quis tamen ulterius querat, cur in priori extensione semicirculus, in posteriori circulus assumptus fuerit, respondemus, latitudinem idèo semicirculō definiri, quia habet terminos fixos, nimirum duos polos, quorum distantia semicirculum excedere nequit. Sed Longitudo fixis terminis destituta, per totum circulum porrigitur.

Dein

Deinde, illud asserendum esse videtur, quod veteres idē extensionem ab unō Polō ad alterum *latitudinem*, & extensionem ab occasu versus ortum *longitudinem* vocaverint, quia hæc extensio magis illis nota fuit, quam ista. Hujus rei gratiā ex Riccioli L. I. Geogr. c. 9. sequentem tabulam allegamus.

Latitudo Orbis terræ cognita antiquis.

Hipparcho à Meroë ad Borysthenum	42.	Gr. 28. M.
Eratostheni ab Äquatore versus Boream	70.	20.
Plinio à littore Oceani Äthiopici ad ultra Tanais ostia	80.	20.
Isidoro ab Oceano Äthiopico ad Thulen	80.	310.
Martiano Capellæ ab Oceano Äthiopico ad ultra Thanais ostia	79.	24.
Marino Tyrio à Tropico Capricorni ad Thulen	87.	0.
Ptolemæo ab Agisymba ad Thulen	79.	26.

Longitudo Orbis terræ cognita antiquis,

Eratostheni ab extremâ Hispaniâ ad Indianam	128.	Gr. 42. M.
Artemidoro à Gadibus ad Gangem	127.	45.
Isidoro à Gadibus ad Ostium Orientale Gangis	144.	24.
Plinio à Gadibus ad Indianam	126.	10.
Martiano Capellæ ex Asia Africæque longit.	148.	30.
Marino Tyrio corredo à Ptolemæo à Fortunatis ad Seras	177.	15.
Ptolemæo à Fortunatis ad Seras	180.	0.

Strabo L. I. Geogr. f. m. 48. testatur, quod cognita longitudo, cognitam latitudinem dimidiò superet. Idem inferioris ætatis Scriptor Thomas de Aquin. Comm. in L. II. de Cœlō Lect. III. t. 39. confirmat. Manifestum inde fit, quod omnes ac singuli, Orbi majorem extensio-
nem ab ortu versus occasum, quam ab unō polō versus alterum assi-
gnaverint, quæ causa est, quod illam longitudinem, hanc latitudinem
appellaverint. Manet eadem appellatio, etsi accidente ampliori no-
ritu, dilatati fuerint terra termini. Extensio ab occasu versus ortum
fere innotuit, peracta feliciter septies, vel octies, totius Orbis cir-
cumnavigatione. Extensio versus Septentrionem ad gr. 31. patet.

Quod enim Olaus Magnus in Epit. de Gent. Septentrion. afferit, pene-
trasse se ad Elev. Poli 86. Gr. plenam fidem non meretur. Extensio
versus Austrum usque ad 60. Gr. 15. M. peragrata est. Jovius L. IV. Elogio-
rum f. 220. Ed. Basil. 1575. refert Tristianum Acunium Lusitanum, Pro-
Regem Regis Immanuelis in Indiā, rapidissimis Aquilonibus ultra Cir-
culum Polarem Antarcticum fuisse abreptum, quod in casu sum una hi-
rundo ver possit facere, meritò dubitamus, id solum allegantes: quod
quidam scribit, olim intra L. secula notitiam Orbis tantum non crevis-
se, quantum nunc intra duo nondum integra profecit. Ex his fit pla-
num, quod nihilominus aliqua longitudinis & latitudinis, globo terræ
applicatae adsit ratio.

§. VII. Nunc ambigua utriusque vocis, in sensu Geographicō
sumpta, significatio evolvi debet. Astronomi enim longè aliam ad-
hibent, quæ hic prorsus exulat. Longitudo Geographica alia est Uni-
versalis, alia particularis. Distinctio hæc in ipsō Strabone fundamen-
tum habet, qui L. II. Geograph. f. m. 62. longitudinem cum latitudine
comparans, sic fatur. Generaliter autem definiendum, quod non eō-
dem modō in totō & in parte longitudo, & latitudo dicitur. Sed in
totō quidem major distantia appellatur longitudo, minor autem lati-
tudo. In parte verò longitudo quidem est ipsum parallelum, ad totius
longitudinem. Nimurum Longitudo Universalis, est extensio Orbis
ab ortu versus occasum, secundum gradus peripheriae totius Circuli
numeranda. Aristoteli L. II. de Cœlo c. 2. t. 14. vocatur τὸ κύριον πό-
λας διάσημα distantia secundum polos, in aliâ tamen quam hodie re-
ceptâ apud Geographos significatione, de quâ vid. Clavius Comment.
in c. 2. Sphaera Joh. de S. Boscō. Longitudo particularis iterum duplex
est: alia regionis, alia loci. Longitudo Regionis, dicitur arcus Äquato-
ris, vel Paralleli, certos gradus complectens, ut longitudo Angliae, Ita-
liae, Ägypti. Tunc magis propriè vox Longitudinis sumitur. Habet
enim regio suam figuram, ut Sicilia trianguli, Hispania corii, Pelopon-
nesus platani: ubi sæpe longior extensio longitudo, brevior latitudo no-
minatur, manente in tali appellatione similitudinis fundamentō. Lon-
gitudo loci, est distantia ejusdem à Meridianō primō in Äquatore vel Pa-
rallelo numerata, procedendo usque ad locum datum. Minimè propriè

hæc

4877

hæc longitudo vocatur, quia locus ejusmodi, tanquam punctum omni extensione carens concipitur. Melius distantia, vel elongatio à Meridianò (de quarum in Astronomiâ discrimine conf. Petr. Crügerus L. II. Doctr. Sphær. c. i. p. 56.) appellaretur, nisi tot seculorum consuetudini repugnandum foret. Latitudo quoque in Universalem, & particularem dividitur. Latitudo *Universalis*, nominatur extensio telluris, ab unū polo ad alterum, qualis à Veteribus 80. gr. definiebatur, à recentioribus ultra 141. gr. extenditur, numerò in partem Australēm, & Septentrionalem distributō. Latitudo particularis rursus in latitudinem regionis, & loci dispescitur. Latitudo *Regionis*, est segmentum Meridiani, inter duos extremos Parallelos spatii alicujus comprehensum, ut Latitudo Prussiæ, Moscoviae &c. Latitudo *Loci* dicitur distantia ejus ab Äquatore in Meridianò, linea brevissimā numerata. Hæc etiam minus propriè loco alicui, qui etsi urbs sit aut oppidum, tamen veluti punctum, suo Zenith subjectum concipiatur, competit, cum potius distantia, seu elongatio ab Äquatore dici debuerit. In situ urbis definiendō, longitudo ac latitudo postremæ significationis attenduntur.

S. IIX. Explicatis his, dubia objecta prius abstergentur, quam ad ulteriora fiat progressus. Ad Obj. I. R. limat, Majorem. Affectione propria corpori oblongo, non potest eodem modō esse affectione corporis Sphærici, bene tamen diversō modō. Scilicet per naturam figuræ oblongæ convenient, secundum similitudinem autem figuræ Sphæricæ. Ad Obj. II. R. Neg. Minorem. In probatione ejus consequentia non admittitur. Nam etsi circuli, in quibus longitudo & latitudo numerantur, æquales sint, numeratio tamen ipsa diversâ ratione instituitur. Longitudo universalis circa totum Orbem continuatur, quia nullum alium, præter Meridianum primum habet terminum. Sed latitudo universalis, per semicirculum tantum extenditur, quoniam habet terminos fixos ac immobiles, scilicet polos: Latitudo particularis ultra quadrantem circuli non ascendit, quia cum Äquatore, tum Polis terminatur. Imo licet extensiones has in se spectatas, æquales esse concedatur, nihilominus secundum nostrum concipiendi modum diversæ forent. Sic Ex. gr. sex positionum differentiæ, ante & retro, dextrum sinistrum, sursum & deorsum, coelo per naturam non insunt, sed in relatione ad hominem, qualem ad hoc negotium depingunt Thomas

Aqv. I. c. & Jacob. Faber Stapulensis Comment. in L. II. de Cælo c. 2. f.
117. Ed. Paris. 1510, quemque Protagoras apud Aristot. L. X. Metaph. c. i.
& L. XI. c. 6. πάντων χειριστῶν μέτρον, rerum omnium mensuram
vocat, non tam Φύσης, quam θεοῖς ipsi tribui solent. Pari modò
distinctionis ergò, latitudo à longitudine diversa intelligitur, ut ut cir-
culi in quibus numerantur, inter se sint æquales. Ad III. Obj. R. con-
cedendo, quod minus commodè vocabula hæc adhibeantur, quia ve-
rò trium literarum Tyrannus Mos, jam prævaluit, antiquum movere
lapidem quis audeat? Agnoscit id eodem in loco laudatus Varenius,
sic postea scribens. Cum tot jam seculis hæc homonymia recepta sit,
ideo uix abolere eam poterimus.

§. IX. Scrutandum nunc sequitur, qui sunt indagandæ longitudi-
nis atque latitudinis modi. Posse enim longitudinem locorum in-
vestigari, consignatæ à Mathematicis tabulæ abundè testantur. Ne-
que obstat, quod de Problemate hōc, splendidò pretiō propositō, Gal-
li, Belgæ, ac Angli decenter, neque licuerit adhuc alicui Archimedi
exclamare εὐγένη. Distinguvi namque debet, inter methodum uni-
versalem, & modos inquirendæ longitudinis particulares. De illâ,
palmâ in mediō erectâ, ambigitur. De his certiora constituta sunt.
Modi, quibus longitudo loci, vel noti vel ignoti indagatur, alii scien-
tifici, alii populares sunt. Vulgares, qui per globos & mappas expe-
diuntur, sæpe errorem comitem habent. Vide quæ de erroribus map-
parum Wilhelm. Schikardus in tractatu de mappis consignavit. De
methodis scientificis varia apud Mathematicos certamina oriuntur.
Quidam ex mari aëstu eas inveniri posse censemebant conf. Ephem. Erud.
antea Gallicè, post à Frieder. Nitzschio Latinè editas ad ann. 1668. d.
25. Octobr. p. 909. Joh. Dominicus Cassinus sidera Circum-Jovialia 15.
annos observans, ex horum Eclipſibus, melius quam ex Lunaribus lon-
gitudines locorum cognosci posse putavit ib. p. 969. & seqv. Quidam
per declinationes acūs magneticæ, quidam ex maculis Lunaribus, vel
inclinacionibus cornuum Lunarium easdem verabantur. Christian.
Severin. Longomont. in Astronom. Dan. L. I. Theorie. sub fin. c. 9. Lon-
gitudines locorum per Lunam cum aliquâ fixarum in nonagesimâ de-
prehensam inquirit. Prolixum foret, omnes ab Auctoribus traditos
modos allegare, prolixius examinare. In eō plerique convenienter,

bene.

4875

beneficio Eclipsum magnorum luminarium, longitudines locorum posse reperiri, ut adeò tenebras eorum, magnum in Geographiâ lumen afferre, non immeritò statuatur.

§. X. De hòc tamen rursus ambigitur, num Eclipses Solis, an vero Lunæ ad determinandam loci longitudinem sint assumenda? Hipparchus utramque Eclipsem hic adminiculò esse creditit. Urbes ad Orientem & Occasum magis minusve accidentes, nullus diligenter sane dignoscet, nisi per Eclipticas Solis & Lune comparationes, dicit apud Strabonem: L. I. Geogr. f. m. 5. Ptolemæus verò Eclipsem Lunæ ad id opus magis commendare videtur, quando scribit. *Distantiae quam plurimæ, & præcipue ille, qua ad ortum vel occasum vergunt, imperficiorem affectuæ sunt traditionem, non incuria eorum, qui historias considerunt, sed ideo forsitan, quia consideratione, Mathematicales nondum exactè erant perceptæ, nec adhuc multæ defensiones Lunares eodem tempore in locis diversis obseruatæ fuerant.* Nam literis mandatum est, Eclipsem eam, qua horæ quintæ in Arbelis accidit, Carthagini apparuisse secundâ. Ex quibus manifestum redditur, quot temporibus æquinoctialibus inter se loca distent, ad ortum, vel occasum. L. I. Geogr. c. 4. Ex recentioribus plerique Mathematici, Ptolemæi opinionem secuti, juxta Eclipses Lunæ, locorum longitudines computant. Vendelinus Lunarem methodum accuratissimam esse dicit. *Hoc fundamentum est observandarum longitudinum precipuorum in terrâ locorum. Sinempe observetur, quotâ horâ eadem Eclipsis Lunaris, aut aliis quibuscum motus insignis apparuerit, in hòc vel illò loco inquit Bartholom. Pitisc. L. IV. Problem. Astronom. Probl. X. Varenius quoque accuratissimam appellat mod. 2. Propos. VII. c. 31. L. III. Geogr. & mod. 1. ait.* Hic modus optimus est, & satis accuratus, si modo singulis noctibus Eclipses fierent. Nec aliam mentem fovet D. Dav. Christiani L. I. Geogr. c. XL. p. 476. Hæc una relicta est ratio restituendi, & mendandi locorum longitudines, ut mittantur in regiones longè diffitas artifices cum instrumenti idoneis, ad observandum Eclipsum Lunarium momenta. Interim J. Keplerus, trium Imperatorum Mathematicus, in præceptis Tab. Rudolph. præmissis c. 16. Solares Eclipses, præsertim magnas, multò aptiores esse Lunaribus, ad id manus autumat. Idem tamen in ipsis tabulis sub calce Catalogi locorum f. 36. potius ex observationibus Eclipsum Lunæ, Lincium 10. minutis

Romà se orientalius facere testatur. Rationem, propter quam ab aliis Mathematicis Eclipses Lunares præ Solaribus, ad id negotium eliguntur, ex Ricciol. L. II X. Geogr. c. 3. hanc allegamus. In illis non est opus supputare parallaxes Longitudinis & Latitudinis, sicut opus est in Solaribus. Hæ autem parallaxes esto possent exactissimè computari in unō loco, cuius Meridianò affixa sunt Tabulae Astronomicæ, puta Uraniburgi, ad alterum tamen Meridianum accommodari nequeunt, nisi præcognita fuerit distantia Meridianorum, per quam fuerit aquatum tempus --- que tamen hoc loco per has Eclipses inquiriuntur. Conf. idem T. I. Almag. L. I. c. 13. Methodus longitudinem locorum ex Lunaribus Eclipsibus supputandi, sequenti regulâ nititur. (1.) Initium Eclipseos alicujus Lunaris, in duobus vel pluribus locis, justò intervallò à se remotis, accuratè observetur, aut si initium propternubem insurgentem cerni nequit, medium vel finis ejusdem attendatur (2.) tempus noratà stellæ primæ magnitudinis altitudine, ritè consignatur. (3.) differentia temporis convertitur in partes Äquatoris, cuilibet horæ minuto 15 minuta Äquatoris designando. Differentia talis distantiam Meridianorum (non autem locorum, nisi sub ipsò Äquatore, aut Parallelò) seu differentiam Longitudinum indicat, ex quō cognoscere licet, qui datorum locorum orienti, & qui occidenti magis vicinus est.

§. XI. Non aliena nos à Icopò nostrò haec tenus proposuisse, fatebitur, qui intentionem totius Disputationis, ac ea quæ sequentur, cum antecedentibus collata, sedulò expendet. Ne tamen consultò ambages quæsivisse alicui videamur, nunc sine morâ ad SITUM REGIOMONTI GEOGRAPHICUM modò §. 2. & 3. significatò describendum, nos accingimus. Caput curæ erit I. Longitudinem Regiomontanam determinare. Hoc ut fiat, Meridianus Regiomontanus prius cum aliorum locorum Meridianis, deinde cum Meridianò primò comparanduserit. Huic operi duæ Eclipses Lunares, ao. 1635. Regiomonti, & in aliis urbibus, à probatis Mathematicis observatæ inservient. Posterior nocte inter 27. & 28. Aug. St. N. contigit, ac insigne observatorum, in præcipuis Orbis habitabilis partibus, oculos in se convertit. Regiomonti initium Eclipseos accidit H. 2. 33 M. ferè. Horam indicabat altitudo Aldebaran seu Palilicij ortiva 35. Gr. 40. M. sequenti methodò, quæ nititur resolutione Trianguli Sphærici obliquanguli B A C, in quō cognitiis lateribus investigatur angulus ad A, quem

quem metitur arcus Äquatoris, cruribus BA & AC interceptus, quod perspectō, distantia Palilicij à Meridianō habetur, ex eaque elongatio Solis à Meridianō investigatur.

Elevat. Poli Reg. (juxta S. 16.) 54. Gr. 43. M. Antilog. -- 54834.

Declinat. Palil. Boreal. 15. 44. Antilog. -- 3819.

	Aggreg. prius	58703.
Compl. Declin. seu lat. CA	74.	Gr. 16. M.
Compl. Elev. Poli seu lat. AB	35.	17.
Differ.	38.	59.]
Lat. tert. BC seu Compl. Altit.	54.	20.]
Summa	93.	19.
Semiss.	46.	39.
Diff. int. diff. pr. & Compl. A	15.	21.
Semiss.	7.	40.
		30. Sec. Log. 201325.
	Aggreg. poster.	233169.
	prius	58703. subtr.
Resid.	174466.	
Semiss.	87233.	
cui respondent	24.	Gr. 42. M. 23. Sec. 38. Ter.
Ergo distantia Aldebaran à Merid. erat	49.	24. 47. 16.
Ascensio R. Palilicij Subtr.	63.	47.
Ascensio R. Med. Cœli	14.	22.
& additis	360.	12. 44.
Ascensio R. Solis subtr.	374.	22.
	156.	12.
Elongatio Solis à Merid.	218.	10. 12. 44.
Mic in tempus conversæ congruunt 14. H. 32. M. 41. Sec. acciditque initium Eclipseos Lunaris mane post dimidiā tertiam die vñ' 5. 28. Aug. Idem momentum defectus Lunaris in omnibus orbis partibus observabatur.		
In EUROPA præterea initium hujus Eclipseos contigit		
	Neapoli H. 14. 23. M. 30. Sec.	
In ASIA, Aleppi urbe Syriae	15. 28.	

In AFRICA Cahyri in Ægypto H. 15. 14. M. 30. Sec.
In AMERICA Kebeci in novâ Franciâ circa 9. vespertinam observa-
tam fuisse Eclipsin hanc scriperunt Jesuitæ, omissâ tamen accuratori
in umbrationis determinatione, prout quatuor istas observationes com-
memorat Petrus Gassendus, in peculiari Relatione de Eclipsi hâc, quæ
annexa est ejus Institut. Astronom. p. 248. & seqv. Si jam hæc loca com-
parentur cum Meridiano Regiomontano, differentiam Meridianorum
licebit cognoscere. Sic tempora initii Eclipses, Regiomonti & Alep-
pi notata, Meridianos utriusque urbis 55. M. 19. Sec. à se invicem re-
moveri indicant, quæ minuta horar. in partes Æquatoris conversa 13. Gr.
30. M. ostendunt, nihil obstante tabularum fide, quoniam hæ etiam
Meridiani Massiliensis distantiam ab Aleppo 15. gradibus justè majo-
rem constituant, ut probat Gassend. l. c. p. 253. Tot ergo gradibus ac
minutis Aleppum Orienti magis quam Regiomontum appropinquat,
tantòque intervallò differentiam horarum remotam habet. Ex. gr.
cum Regiomonti XII. auditur, Aleppi jam prima imminet, & sic porrò.

S. XII. Istâ ratione licebit conferre unius loci Meridianum,
cum Meridianò loci alterius, donec perveniat ad Meridianum pri-
mum. Hujus ductus, quia natura nullum longitudinibus posuit ini-
tium, ab humano arbitrio dependet. Possent ergo quævis puncta
Æquatoris, in longitudinibus terminus à quo fieri: sed quoniam ita
nihil certi constitueretur, stabilis à Mathematicis Meridianus figi solet.
Ut veteres hic omittamus, notum est, quod ex recentioribus Coperni-
cus Frauenburgi, Erasmus Reinholdus Regiomonti, Origanus Franco-
furti, Maginus Venetiis, Eichstadius Stetini, Tycho, Keplerus & He-
kerus Uraniburgi, Landsbergius Goese, Ricciolus Bononiæ Meridia-
num primum locaverint. Placuit laudatissimo Linemann, longitu-
dinis Regiomontana terminum à quô Uraniburgo destinare, ad quod
negotium ipsi anni 1635. Eclipsis prior Lunaris multum serviebat. Ac-
cedit tunc nocte intre 3. & 4. Martii deliquum Lunæ totale cum moræ,
eujus moræ initium 8. H. 54. M. advertit. In eâdem initium totalis
immersionis Stetini 8. H. 27. M.D. Eichstadius notavit. Idem Amste-
lodami H. 7. 51 M. cernebatur. His suppositis ita porro progreditur.
Regiomontum orientalius est Stetino 27. M. idque ideo, quia moræ
Ecl. initium Regiomonti contigit H. 8. 54. M. Stetini H. 8. 27. M. Atqui
Stetinum Uraniburgo 8. M. orientalius est, ut observat Eichstadi. in Pæd.

Astro-

4877

Astronom. E. Regiomontum Orientalius est Uraniburgo 35. M. temporis i.e.g. Gr. 45. M. Äquatoris. Porro Regiomontum Orientalius est Amstelodamo 1. H. 3. M. quia memoratae Eclipseos mortæ initium Regiomonti H 8.54. M. sed Amstelodami H 7.51. M. accidit. Differencia unius horæ, & trium minutorum provenit, quam insuper tribus unus Eclipsis conspirantibus phasibus confirmat Ricciol. L. IIX. Geogr. c. 20. n. 8. Amstelodamum Orientalius est Leidâ 2. M. teste Snellio in Eratosthene Batavo. E. Regiomontum Orientalius est Leidâ 1. H. 5. M. Leida observante Phocylide occidentalior est Tubingâ 18. M. Tübinger Occidentalior Uraniburgô 12. M. à Keplerô ponitur. Igitur Leidâ est occidentalior Uraniburgo 30. M. temporis. Atqui Leida est occidentalior Regiomonti 1. H. 5. M. Ergo Regiomontum orientalis est Uraniburgô 35. M. temporis, ut antea.

S. XIII. Hac inquam methodo Linemannus longitudinem Regiomontanam inquisivit, cum in allegatis Deliciis Calendariographicis, tum in Memoriâ seculari Academiae hujus Anno 1644. Mem. 1. & 7. cum quod tractatu inter insigniores Mathematicos à P. Ricciolo in Catalogo Mathematicorum, Almagesto præfixo f. 29. numeratur, ut ita in operationibus Astronomicis longitudinem Regiomontanam IIX. Gr. & XLV. M. Meridianò primò Uraniburgi positò, determinari debere judicet, quod differt à Joh Keplerô, qui distantiam horum Meridianorum 45. M. Äqv. minorem facit. Non inconveniens autem est, ut in negotiis Geographicis, aliis eligatur Meridianus primus. Astronomi quidam Meridianum primum ad eum locum restrinxerunt, in quod insigniores operationes, aut observationes Mathematicæ factæ sunt. Geographi plerique in Insulis Fortunatis eum concipiunt. Ptolemaeus in Astronomicis, Meridianum primum per Alexandriam, in Geographicis per Insulas Fortunatas duxit. Ricciolus in observationibus Astronomicis Bononiæ; in Geographicis Palmæ, Insularum Fortunatarum uni, hanc palmam detulit. Et quamvis aliquoties locum Meridiani primi Geographicus mutatus sit, plerique tamen Geographorum, Insulis Fortunatis, tanquam antiquæ sedi ipsum alligant. Galli omnes jussu Ludov. XIII. Regis Anno 1634. dato, eum illis destinare coguntur, ut testatur Philipp. Brietius part. I. L. III. Parall. Geogr. c. 1. p. 43. Ad hunc antequam reducatur Regiomontum, attendas velim, quanta apud Tabularum Auctores in numeris diversa occurrant. Ad

Veteres hic frustra provocatae. Altum apud eos de nostro loco silentium, ut non immerito Origanus reprehendat Maginum, ex Ptolemaeo demonstrare conantem, Meridianum Regii Montis respectu Venetiarum, nimis Orientalem à Reinholdo esse constitutum, re & que judicet: Ignoravit Ptolemaeus Regium Monem, & ideo de ejus Meridianō non pronunciavit. Introduct. in Ephem. part. I. c. 6. p. 112. Neoterorum modò dissensum contemplemur.

Longitudo Regiomontana.

Petro Apiano part. II. Cosmograph.	--	--	46. Gr. 45. M.
------------------------------------	----	----	----------------

Consentiant Longomontanus L. I. Theor. c. III.
Christoph. Clavius T. III. Oper. f. 173. Andr. Ar-
gulus L. III. Astron. p. 116. Maginus part. II. Isag.
p. 69. Schottus L. XII. Geogr. f. 377. Andr. Gold-
mayer in Tab. Mathem. Henricus Bruecaus L.
III. de Motu primo in Tab. Longit. Bernh. Vare-
nius L. III. Geogr. in Tab. loca p. 631. D. David
Christiani in Catal. locorum p. 515.

Hic vero L. I. Geogr. c. XL. p. 474. allegat tantum	41.	Gr. 16. M.
---	-----	------------

M. Johanni Rauw in Abaco Cosmograph.	42.	16.
--------------------------------------	-----	-----

Philippo Ferrario in Lex. Geograph.	44.	5.
-------------------------------------	-----	----

Joh. Jac. Heinlino p. ult. Tabul.	46.	10.
-----------------------------------	-----	-----

M. Abdia Treu part. 2. Geometr. præfl. p. 420.	46.	30.
--	-----	-----

Consentit Eichstad. part. I. Ephem. p. 72.	44.	0.
--	-----	----

Ricciolo L. IX. Geogr. f. 399.	44.	0.
--------------------------------	-----	----

Idem L. IX. Geogr. c. 20. n. 5. f. 365. & 367. item c. 26 n. 2. augens eam ponit	44.	15.
---	-----	-----

Martino Cromero L. I. de Polonia, & Simoni Sta- rovolscio de Polon. p. m. 171.	43.	0.
---	-----	----

De G. Hornio vid. §. sequ.		
----------------------------	--	--

§. XIV. Dissensum hunc considerans, non immerito cum Keplero sub calce Catalogi locorum mirabitur, quantum sit incertitudinis, quantum laboris, in examinandis locorum longitudinibus. Si quid tamen certi, in re nondum satis clara statuendum est, nobis Riccioli numerum, præ omnibus allegatis auctoribus arridere fatemur. Si itaque respondendum venit, quæ sit longitudo Regiomonti Geographi-

4878

ea, quia præterea disputantes unum quid intelligere oportet, juxta L.
XI. Metaph. c. 5. idem, qui id à te postulat, tibi prius Meridianum pri-
mum figat. Sine dubiō in Insulas Canarias, receptā jam consuetudine,
tecum navigabit. Inter eas si assumat Palmam, ex ultimis Canariarum
versus occidentem, dices Longitudinem Regiom. esse 44. Gr. 15. M.
quem numerum aliquoties diversis in locis allegat, & ut mox videbi-
mus, demonstrat Ricciolus, adeò ut in loco illō, in quō minutanege-
cta sunt, error Typographi commissus esse præsumatur. Manifestoq;
error advertitur apud Georg. Hornii Ulyss. peregrin. p. 196. ubi in Ca-
talogo locorum, quem *exactissimum* appellat, Latitudinem Regio-
monti 45. Gr. 43. M. & Longitudinem, ab Insulā Palmā Can. numera-
tam 54. Gr. o. M. definit. Si more aliorum Geographorum, Meridia-
num primum in Insulā Teneriffā, ejusque monte Pico del Teide consti-
tuit, subtrahe distantiam montis hujus ab Insulā Palmā, residuum di-
stantiam Meridiani Regiom. à Meridiano Teneriffæ i. e. longitudinem
Reg. manifestabit. Est verò Palma Insula occidentalior portu S. Cru-
cis Teneriffæ Gr. 1. 45. M. ut ex chartis nauticis monstrat Ricciolus L.
IIX. Geogr. c. 1. n. 7. Atqui ex tabulā Insularum Fortunatarum Dappe-
ri, insertā descriptioni Insularum Africæ f. 76. distantiam portus S. Cru-
cis ad Teneriffam, à Pico del Teide, tria millaria Hispanica, quæ ferè
totidem Germanicis æquantur, non excedere, colligitur. E. 12. M.
Æquatoris, quæ respondent 3. milliaribus, subtrahi debent à 45. M.
& manebunt 1. Gr. 33. M. quæ designant distantiam Pico del Teide ab
Insulā Palmā; quoniam tantò intervallō portus S. Crucis ad Tenerif-
fam, orientalior est monte memoratō. Mox aufer 1. Gr. 33. M. à 44.
Gr. 15. M. quia Meridianum primum non Palmæ, sed Teneriffæ alliga-
re decrevisti, & provenient XLII. Gr. XLII. M. quæ est desiderata Re-
giomonti Longitudo, quam tamdiu retinere licebit, donec aliquando
certior proferatur. Si rationem nōsse desideras, quæ te posthabitis
alijs, ac in primis classis primæ auctoriis, ad amplectendum modō
allegatum numerum mouere queat, non exiguum esse compieris.
Scire est rem per causam cognoscere, dicunt Philosophi ex L. I. Poster.
c. 2. s. 1. Vix autem apud ullum allegatorum Scriptorum causam depre-
hendes, propter quam hic vel ille, & non alijs longitudinē Regiomon-
tanē numerus assignandus sit. Hanc verò pro numero nostrō ex Ric-
ciolō depromere poterimus. Fundamentum hic illud assumitur,

quod §. 10. sternebatur, nempe Eclipses Lunares. Methodus non differt ab eâ, quâ §. 12. Meridianus noster cum Uraniburgicô comparabatur. Igitur laudatus Auctor L. IIX. Geogr. c. i. solicite ex navigationibus inquirit, & tandem n. 14. concludit (1.) Meridianum Ulyssipponis à Palmâ Insulâ 12. Gr. removeri. Idem (2.) c. 20. n. 1. cum ex Eclipsi Ulyssipone & Ingolstadii observatâ, tum ex Chorographiis, & itinerariis ostendit, Ingolstadium orientalius esse Ulyssipone 22. Gr. 23. M. (3.) n. 2. ex Chorographiis locorum docet, Bononiam Italicam Orientaliorem esse Ingolstadiô 7. M. unius Gr. (4.) n. 4. ex observatione Eclipsis indicat Dantiscum 8. Gr. Bononiâ esse Orientalius. (5.) n. 5 cum Eichstadio, Linemanno, & Bullialdo Dantiscum à Regiomontô 1. Gr. 45. M. in longitudine distare agnoscit. Hi numeri collecti, pro Regiomonti longitudine à Palmâ summam relinquent 44. Gr. 15. M. æqualem superiori, à quâ sit. Gr. 33. M. subtrahantur, iterum 42. Gr. 42. M. quæ est Longitudo Regiomonti à Teneriffâ numerata, emergent. Non fugient nos duo potiora, quæ hic excitari poterunt dubia. Primò Georg. Fournier, & Cassinus l.c. dubitant, ex Eclipsibus certain Longitudinis differentiâ desumi posse indicia, quia observatorum alii citius, alii tardius, initium Eclipsis, l. finem advertunt. Deinde ad Mappas Geographicas provocabis, quæ aliquot gradibus majorem eò, quem hic legis, longitudinis Regiom. assignant numerum. Utrumque dubium abstersit noster, cui correctam Longit. Regiom. debemus, Auctor. Prius refellit L. IIX. Geogr. c. 19. n. 2. ostendens, quod jam inde à Ptolem. & prejudicata apud omnes Cosmographos sit opinio, perutiles esse Eclipsium Observationes, ad locorum longitudines discernendas. Posterius c. 26. tangens, putat, probatores videri illas chartas, quæ interjecta loca arctius adstringunt, quam quæ nimis disiungunt. Vide quæ de Massiliâ distantiam Longitudinem ab Aleppo §. 11. Gassendus monuit. Linemannus quoque in Delic. Calendariograph. ad an 1647. qv. 6 queritur, in Tabulâ Prussiæ Gedanum à Regiomontô, quinque milliari- bus longius, quam par est, remotum esse, quæ porrò prolixâ Inducio- ne ex Schickardô, aliisque probari possent.

§ XV. Ad determinandum situm Geographicum, opus erit II. Latitudinem Regiomontanam cognoscere. Longè certius de eâ capitur indicium. Convenit semper hujus numerus cum summo Elevationis Poli, quod hâc ratione confirmatur. Firma stat Mathematicorum regula

4019

regula apud Euclid. L. I. Element. Axiom. III. Si ab equalibus equalia ablatas sint, que relinquuntur, sunt aequalia. Jam ita subsumere licet. Atqui quadrantes ejusdem circuli, ubicunque accipiuntur, sunt inter se aequales. E. si aequales ab illis reseces portiones, erunt illæ inter se aequales. Sed in Meridiano M A R P L &c. arcus R L, & arcus M R sunt aequales, utpote quadrantes unius circuli, puncto R tanquam Zenith divisi. At hic aequalia segmenta M A & R P auferuntur. Quando enim numeratur Latitudo loci, negligitur in eâ Elevatio Äquatoris, & quando numeratur elevatio Poli, omittitur distantia Zenith à Polò, quæ sibi tamen semper sunt aequales. Ergo necessum est, ut arcus A R i. e. Latitudo loci, arcui PL i. e. Elevationi Poliæqualis sit.

§. XVI I. Modi investigandæ Latitudinis haud pauci circumferruntur. Terrâ hic rursus deficiente, cœlum in subsidium vocatur. Latitudo cognoscitur (1.) ex observatâ stellæ alicujus Äquatori vicinæ altitudine. (2.) ex stellæ circumpolaris altitudine maximâ, & minimâ, (3.) ex loco Solis, tempore meridiei cuiuslibet notatô (4.) ex loco Solis die Äquinociti conspectô. (5.) ex umbrâ, quam spargit stylus perpendicularis, erectus super planum Horizontale. (6.) ex inclinationibus Magneticis (7.) ex quantitate diei maxima vel minima, conf. Joh. Regiomont. *Probl. XX. Tabulis Directionum præfixum*, Joh. Kepler. *Præcept. Tab. Rudolph. c. XIII. Longomont. L. II. Sphæric. c. IIX. Crüger. L. I. Doctr. Sphær. c. X. Bernh. Varen. L. II Geograph. c. XXIII. Prop. IX. D. Ägid. Strauch. Sphæric. Aphor. 216. & seqv. aliique, qui plures adhuc inquirendæ Latitudinis ac Elevationis Poli modos ostendunt. Hoc loco eum assumimus, quando ex observatione altitudinis Solaris in meridie Solstitiali, elevatio Poli cognoscitur. Inserviet proposito nostro altitudo Solis meridiana, à Linemanno ann. 1644. d. 22. Junii St. N. ipsò solstitiali die Regiomonti observata, & Memor. IX. seculari inserta. Erat hæc §8. Gr. 47. M. 30. Sec. ex quâ secundum methodum Crügeri l. c. præscriptam, Elevatio Poli, & simul Latitudo Regiomontana, Gr. 43. M. resultat.*

Altitudo Solis observata	--	--	58. Gr. 47. M. 30. Sec.
Parallaxis Solis Tychonica A.	---	---	I. 32.
Altitudo Solis vera	--	--	58. 49. 2.
Obliquitas Eclipticæ Tychon.	--	23.	31. 30.

Elevat. Poli, eique respondens
Latitudo Regiomonti quæsta. ---- LIV. Gr. XLIII. M. ferè.

§. XVII. Latitudinem hanc Regiom. esse genuinam, non est
ut dubitemus, vel ulterius inquiramus. Insigni eam documento con-
firmavit Nobilissimus Tycho Brahe. Is ut felix erat Astronomiæ in-
staurator, ita etiam lubens Antecessorum suorum errata tollere voluit,
quæ de causâ aliquando unum ex suis administris, Alexandriam mitte-
re decrevit, exploratum, an Ptolemæus latitudinem ejus loci accuratè
observaverit. Legavit verò Studiosum quendam, Eliam Olai, ex Da-
niâ in Prussiam, ad Canonicum Frauenburgensem, quia suspicabatur
Tycho, Elevationem Poli Frauenburgensis, à Nicolao Copernicô,
quem incomparabilem in hoc opere Athletam appellat, minus com-
modè constitutam fuisse, scilicet 54. Gr. 19. M. Venit ergo memoratus
Studioſus Frauenburgum, exquisitò, & minutissimarum divisionum
capace instrumento instritus, cuius ope, tam ex altitudinibus Solis Me-
ridianis, in Declinatione ejus Boreali, quam fixarum Elevationibus
maximis ibi deprehensis, plus integrò mense commoratus, post plures
exactas, sibique consentientes Observationes, invenit Elevationem Poli
Frauenb. esse 54. Gr. 22¹₄. M. excedentem Copernicanam annotatio-
nem 3. M. Neque mirum est, levem aliquem errorem à tantò virò fu-
isse commissum. Organis quippe debitibus caruit, quem defectum etiam
Erasio Reinholdi alibi Tycho objicit. Instrumento Copernicus Paral-
lacticò usus fuit, edque abiegnò, minus exquisitè fabrefacto. Quæ
porro ad rem præsentem faciunt, ipse Tycho L. I. Epist. Astronom. p.
75. Edit. Norimb. 1601. ita exponit. Interea dum Studioſus meus
Frænburgi Observationibus vacat, ab Illustrissimò Princeps Georgio
Friederico Marchione Ansbachiano, missò ad eum M. Menio Professo-
re Mathematum Regiomonti Prussiae, illuc vocatur, ut polarem altitu-
dinem ibidem pari diligentia examinet, quod per aliquot hebdomadas,
in hortò Principis, loco opportunò concessò effecit, atq; ex altitudini-
bus Solis stellarumq; ibi multoties acquisitis, deprehenditur Regiomonti
Prussiae Elevatio part. 54. m. 43. proximè, quod Tibi (sc. Christopho-
ro Rotmanno, Principis Wilhelmi Landtgravii Hassiae Mathematico)
annò indicandum duxi, siquidem Reinholdus Prutenicas Tabulas ad

4850

eam locum ordinavit, ejusq; latitudinem 54. Gr. 17. M. Scrupulis 26.
justo minorem, Apiani erroneous Catalogum perperam imitatus, con-
stituit. Contigit haec observatio ann. 1584. ut colligi potest ex Lon-
gomont. Astron. Danica L. I. Theoric. p. 39. ubi simul de obitu obser-
vatoris Eliæ Olai, post sexenium in manibus suis defuncti, quædam re-
fert. Retinent hanc Regiomonti latitudinem, post Tychonem, incliti
quidam ex Mathematicorum chorda Viri, Petrus Crügerus in Tab. primi
motus p. 16. M. Abdias Treu, Mathematicus Altorffinus Geom. pract.
p. 420. Laurent. Eichstad. part. 1. Ephem. p. 72. & ex eruditarum fo-
minarum ordine non postrema, Maria Cunitia part. 1. Tabul. Astron. f.
69. Porrè Linemannus, Concius, Joh. Hökerus, Joh. Baptista Riccio-
lus L. VII. Geogr. c. 24. cum quòd non immeritò mireris, cur Longo-
montanus & Keplerus, aliam latitudinem Regiomonto assignaverint.
Stabilità genuinà latitudine nostri loci, consideremus, quam diversam
eidem nonnulli Scriptores tribuant.

Latitudo Regiomontana.

Petro Apiano part. II. Cosm. p. 98. Ed. Antv. 1584. § 4. Gr. 17. M.

Consentit Erasm. Reinholdi f. 7. Tabul. Pruten.

Christoph. Clavius Comm. in c. 2. Job. de S. Bosco f.

173. Joh. Anton. Magin. part. II. Isagogie. p. 69.

Joh. Virdungus in Tabul. resol. p. 45. Henricus

Brucæus L. 3. de primò motu. Anton. Grevenstein
in Append. Supputat. Eclips.

Martino Cromero L. I. de Polon.	---	---	§ 4.	50.
---------------------------------	-----	-----	------	-----

Johanni Keplero in Tab. Rudolph. part. I. f. 35	--	55.	8.
---	----	-----	----

Consentit Heinlin. Tab. ult. Geogr.

M. Joh. Rauw in Abaco Cosmographi.	---	---	§ 3.	2.
------------------------------------	-----	-----	------	----

Davidi Origano Ephem. part. I. p. 108.	---	---	§ 4.	57.
--	-----	-----	------	-----

Christiano S. Longom. L. I. Theor. c. 3. p. 61.	--	54.	21.
---	----	-----	-----

Consentit D. David Christiani L. I. Geogr. c. XLV.

Andreas Goldmayer in Tabul. Astronom. & An-

dræas Argolus L. III. Ephemer. p. 116.

Bernh. Varenio in Catal. Locor.	---	---	§ 4.	20.
---------------------------------	-----	-----	------	-----

Suffragatur Caspar Schottus L. XII. Curs. Ma-

them. part. IV. f. 377. & Philipp. Lansberg. in

Tab. mot. Cœlest. f. 8.

Georgio Fournier L. III. Geogr. c. 8. p. 88.	---	---	§ 4.	45.
--	-----	-----	------	-----

Philip-

Philippo Ferrario in Catal. Lexico Geogr. subjunctio
Simoni Starovolscio Descript. Polon. p. 171. --- 54. Gr. 42. M.
Pandore Tabul. Mathem. p. 290. --- 54. 0.

§. XII X. Cognitâ longitudine & latitudine IIII. Distantiam Regiomonti à quôlibet aliò loco rimari valebitus. Non enim Geographus loci alicujus situm, tantum absolutè considerat, sed etiàm respectivè, ut ita unâ fideliâ duos dealbet parietes, & de situ loci sui sollicitus, alios simul sibi familiares reddat. Varii in hòc problemate occurunt casus, quorum tamè duos hic expendisse sufficiet. Nimirum, si locus, cuius distantia à Regiomontò inquiritur, longitudine ac latitudine ab eòdem differt, & præterea extra Äquatorem, versus Borream reperitur, vc. Ulyssippo Urbs Portugalliz, triangulum Sphaericum FBG concipe, in quo didiceras habes (1.) Latus FB seu complementum Elevationis Poli Ulyssipponensis 51. Gr. 20. M. (2.) Latus BG seu complementum Elevationis Poli Regiomontanae 35. Gr. 17. M. Differentia laterum est 16. Gr. 3 M. (3.) anguis B istis lateribus duobus comprehensus, tantus, quanta est Longitudinis Ulyssipponensis à Tererifâ numerata, 10. Gr. 27. M. & Longitudinis Regiomontanae 42. Gr. 42. M. differentia 32. Gr. 15. M. Innotescet ex his datis basis trianguli seu latus FG, manifestabitque distantiam unius loci ab alterò, gradibus in milliaria conversis. Methodus non eadem ab omnibus præscribitur. Eligimus hic eam, quam Caspar Schottus L. XII. Curs. Mathem. part. III Probl. IX. tradit, illamque universalissimam, & omnibus casibus accommodari posse, prædicat. Nititur autem Regulâ Trigonometricâ, ab eòdem L V. c. 4. Propos. 25. sic expressâ. Fiat ut radius ad sinum lateris datorum minoris, ita sinus reliqui lateris ad aliud, invenietur arcus, qui vocetur primus. Deinde fiat, ut radius ad arcum primum, ita sinus versus anguli verticalis ad arcum secundum, quem adde sinu verso differentialiterum, & fieri sinus versus basis questae. Operatio sequenti modo absolvitur.

Utradius	ad lateris minoris	ita lateris majoris
	35. Gr. 17. M. sinum	51. Gr. 20. M. sinus
10000000.	5776202.	---
	7807940.	ad arc. pr.
4510023 (8643880.		
arcus primus.		

Borrò

Ut radius	ad arc. prim	-- ita ang. B. 32. Gr. 15. M.
		sinus versus ad arc. sec.
10000000. -- 4510023.	---	1542722.
	1542722.	

695771 (1702606).

arcus secundus.

Areus secundus

Differ. later. 16. Gr. 3. M. sinus vers. add.	---	695771.
---	-----	---------

Sinus versus basis quæsitæ	---	1085563.
----------------------------	-----	----------

Ergo sinus complem. basis hujus	---	8914437.
---------------------------------	-----	----------

& complementum ipsum	---	63. Gr. 3. M. 18. Sec.
----------------------	-----	------------------------

Basis denique desiderata	---	26. 36. 42.
--------------------------	-----	-------------

Cui respondent 404. Mill. Germ. 10. M. 30. Sec. quibus distantia quæsitæ inter Regiomontum & Ulyssiponem definitur. Non aliò dicit regula, à Joh. Regiomontano L. V. de triangulis Prop. 2. tradita, quam *verè auream* appellat Mœstlinus. Si enim juxta eam opereris, eandem distantiam inter Regiomontum & Ulyssiponem reperies, conf. de hoc casu Mich. Mœstlini Appendix Geographica de distantiis locorum in terrâ computandis, annexa L. IV. Epit. Astron. p. 534. Barthol. Pitisci L. de Probl. Geograph. Probl. III. cas. 2. Joh. Anton. Magin. L. XI. Primi Mobil. Probl. XXVII. Bernh. Varen. L. III. Geogr. Gener. c. XXXIII. Prop. IX. Joh. Jacob. Heinlin. part. II. Geogr. Probl. XXIV.

§. XIX. Ac ita quidem distantia talium locorum, quæ à Regiomontô latitudine & longitudine differunt, investigatur. Sed si præterea indagare cupias distantiam Regiomonti à loco aliquo, qui ab ipsò longitudine differt, verum latitudine cum eō convenit, eundemque Parallelum agnoscit, alià methodo opus erit. Ante omnia proporcio Parallelorum, quam ad Äquatorem obtinent, inquiri debet. Non enim paralleli ejusdem quantitatis sunt, sed propinquiores Äquatori, majores; remotores ab eō, multò minores evadunt, exigente id corporis Sphærici naturâ ac proprietate. Cum ergo Ptolemæus L. I. Geogr. c. XX. afferat, Parallelum Rhodi, qui ab Äquatore 36. Gr. removetur, eam ad Äquatorem habere rationem, qualem numerus 93. ad 115. servat, & Parallelum Thules 63. Gr. ab Äquatore distantem,

ad eundem usq; ad 115. referri, occasionem acceperunt Mathematici,
 proportionem cuiuslibet dati parallelarum ad Äquatorem inquirendi, quod
 dupliciter contingit. (1.) Si queratur, quæ sit proportio totius parallelarum
 ad Äquatorem v. c. quot gradus Äquatoris cotineat parallelus integer,
 qui 36. Gr. ab Äquatore distat. (2.) Si investigetur ratio cuiuslibet
 gradus in parallelō, ad gradum Äquatoris. Proportio totius Parallelarum
 ad Äquatorem cognoscetur, si distantiae Parallelarum ab Äquatore
 complementum ad quadrantem assumas. Complementi hujus sinus
 est semidiameter ejusdem Parallelarum. Dicas jam. Ut sinus totus ad
 360. Gr. ita sinus inventus ad gradus peripheriae parallelarum dati debitōs.
 Ex. gr. quia Parallelus Regiomontanus 54. Gr. 43. M. ab Äquatore di-
 simitur, complementum ejus ad quadrantem sunt 35. Gr. 17. M. qui-
 bus respondet sinus 57762. Igitur

$$\begin{array}{cccc}
 100000. & \dots & 360. \text{ Gr.} & \dots & 57762. \\
 & & & & 360. \\
 \hline
 & & & & 207(94320)
 \end{array}$$

Nactus hic sum 207. Gr. peripheriae Parallelarum Regiomontani, cum fra-
 ctione $\frac{24320}{100000}$, quam ad integra gradibus minora i. e. minuta prima
 reducturus, numeratorem duco in 60, & emergunt 5659200, quæ di-
 visa per radium, producunt 56. minuta prima, gradibus adhaerentia,
 & eorum residuum 35. Sec. horumque residuum 31. Tert. gignit, ut ita
 peripheria parallelarum Regiomontani 207. Gr. 56. M. 35. Sec. 31. Tert.
 Äquatoris æqualis sit, quæ conversa in milliaria Germanica reddunt
 3119.8. M. 52. Sec. 45. Tert. aut si numerò rotundō uti placet 3120. Dein-
 ceps si scire velis rationem cuiuslibet gradus in parallelō ad gradum
 Äquatoris, & inde quot milliaria Germ. quilibet gradus Parallelarum con-
 ciat, multipliça sinus complementi ad quadrantem per 60. quotum per
 integrum radium divide. Productum exhibebit minuta gradus Äqua-
 toris, respondentia gradui Parallelarum, quibus si adhæret fractio, ducatur
 in 60, & per radium dividatur, ut ita productis scrupulis secundis, imo
 tertiiis, milliaria indagentur. Sic quia per præcedentia, complemen-
 tum ad quadrantem distantiae Parallelarum Regiomontani ab Äquatore est
 35. Gr. 17. M. eorumque sinus 57762: Multipliça sinus per 60, produ-
 ctum divido per radium, & cum fractionibus dicto modō procedo,
 emerguntque 34. M. 39. Sec. 25. Tert. 55. Qv. Tot ergo minutis gradus
 unius in Äquatore, æquiparatur gradus unus Parallelarum Regiomontani,
 qui-

4882

quibus æquipollent 8. 39. M. 51. Sec. 28. Tert. 45. Qv. mill. Germ.
His ita constitutis, si comperire cupiam distantiam Regiomonti, ab eâ
parte Tattar (fluminis Mongul regionis in Asia,) quæ æqualem cum
Regiomonto occupat latitudinem, longitudinem Regiomontanam
42. Gr. 42. M. subtraho à longitudine cuiusdam portionis fluvii Tattar
120. Gr. (vid. Tab. univers. F. de Wit.) & resultat differentia 77. Gr. 18.
M. Fiat ergo. Gradui uni nostri Paralleli respondent, 8. 40. M.
mill. Germ. quotrespondebunt 77. Gr. 18. M. ac emergent 669. 56.
M. mill. Germ. distantiam, Regiomonti à flumine Tattar viâ brevissi-
mâ numerandam manifestantia.

§. XX. IV. Data latitudine dies longissima Regiom. investiga-
bitur. Nam velut ex diei vel qualiscunque, vel longissimæ quantita-
te, latitudo loci cognoscitur: Sic etiam nominatâ latitudine loci, dies
longissima inquiretur. Methodus investigandæ diei longissimæ, hœc
locò ad eos tantum terræ tractus dirigitur, quæ Elevationem Poli 66.
Gr. & 30. M. habent minorem. Nam si polus pluribus quam tot gra-
dibus ac minutis elevetur, dies naturales eorum locorum, non amplius
us quadrantibus horarum, sed totis diebus vulgaribus 24. horarum,
imò hebdomadis ac mensibus crescunt, donec sphæræ obliquitate in
parallelismum assurgente, integer annus unicō die, & unicā nocte, cre-
pusculis tamen continuis illustratâ absolvatur. Ad Elevationem Poli
igitur, dictâ minorem, inquiratur tempus occasus Solis, quando in
principiō Cancri hæret, quia tunc longissimam format diem, quod
duplicatum quantitatē diei longissimi ostendit. Ideò verò duplicari
debet, quia arcus diurni motus æqualiter dirimitur per Meridianum,
cujus æqualis est ab ortu & occasu distantia. Ut hora occasus Solaris
cognoscatur, queratur prius differentia descensionalis. Hæc enim
produceat arcum semidiurnum. Arcus semidiurnus est ea circuli pars,
quam astrum motu suō, ab ortu ad Meridiem, vel à Meridie ad occa-
sum, parallelō Æquatori tractu describit. In sphærâ rectâ arcus talis
quadranti adæquatur. In obliquâ quadrante major sit, si datum
astrum versus polum elevatum declinet. Quia E. differentia descen-
sionalis nihil aliud est, quam differentia quadrantis & arcus semidiurni,
in hœc casu differentia hæc addi debet quadranti, & ostendet desidera-
tum arcum semidiurnum. Inquisitio differentiæ descensionis hujc in-
stituitur regulæ. Ut se habet sinus totus ad tangentem declinationis dati

586. k.
 puncti, sic Tangens Elevationis Poli est ad finum differentiae Descensionis.
 qui respondentes gradus cum minutis, ipsam differentiam descensionalem indicant, quam mox in tempus muta, horasque emergentes (in declinatione Solis versus Boream) 6. horis addit, & habebis tempus occasus Solis, ex quo duplcatō quantitas totius diei longissimā innoteſcit, quā subtractā à 24. noctem brevissimā manifestabitur. Consulatur de inquirendā quantitatis longissimā diei methodo Joh. de Monte Regio Probl. XII. Tab. premisso. Joh. Keplerus in Tab. Rudolphin. c. XIII. & Petr. Crüger. L. II. Dotr. Sphær. c. XI. & XII.

§. X XI. His observatis quantitas longissimā diei, ad Elevationem Poli Regiomontani inveniri poterit. Etsi namque reliquarum dierum amplitudo, eādem ferè methodo innotescere queat, illam tamē curam Astronomo Geographus relinquit, ipse longissimā diei notitiā contentus, ut exinde Parallelorum, & Climatū distributionem manifestet. Quapropter calculus quantitatis longissimā diei Regiomontanā sic instituitur.

Ut sinus totus	ad Tang. Declin.	sic Tang. El P.
100000.	23. Gr. 30. M.	54. Gr. 43. M.
	43481.	141322. ad sin. Diff. Desc.
		43481.

Sinus Differ. Descens.	61448621882.
E. different. Descens.	37. Gr. 54. M. 52. Sec.
quibus respondent	2. H. 31. 39.
Et additis 6. tempus occasus Solis	8. 31. 39.
E. Quantitas longissimā diei	17. 3. 18.

Idem emergit numerus, si methodum à Joh. Regiomontano l.c. commendatam adhibeas. Ita verò ille. Subtractio ascensionibus obliquis loco Solis vero respondentibus, ab ascensionibus obliquis punto ei diametraliter opposito pertinentibus, relinquetur arcus diurnus Solaris. Subtrahit jam inventam differentiam Descens. 37. Gr. 54. M. 52. Sec. ab Ascensione rectâ 90, & nanciscor Ascensionem obliquam, principio Canceris competentem 52. Gr. 5. M. 8. Sec. item Ascensionem obliquam, puncti oppositi in Capricorno 307. Gr. 54. M. 52. Sec. quibus invicem subtractis, arcus diurnus Solaris 255. Gr. 49. M. 44. Sec. relinquitur, cui in tempus conversio 17. H. 3. M. 18. Sec. debentur. Hæc quantitas est

lon-

4883

longissimæ diei Regiomontanæ , quæ subtrahita à 24. quantitatem brevissimæ noctis 6. H. 56. M. 42. Sec. ostendit. Ultra quadrantem ergo Joh. Rauw omisit, quando Regiomonti longissimæ diei 16. horas cum tribus quadrantibus horariis in Cosmograph. suâ f. 773. assignavit. Propius accedit D. Joh. Carion , quando in Calendariō ad Horizontem Regiomontanum Pruss. an. 1537. compositō , diem longissimam 16. H. & 54. M. definit.

S. XXII. V. Inventā longissimā Regiom. die , sub quō Parallelō urbs bēc sitū sit , experieris . Paralleli , quos Geographi innomina-
to (ut distingvant à quatuor parallelis nominatis , qui sunt Circuli mi-
nores ,) vulgò vocant , duplicitis sunt generis , nimirum parallelæ lineaæ ,
& parallela spatiæ , quæ duo invicem confundi non debent , quoniam
ut linea à superficie , & ut continens à contento differunt. Fundamen-
tum eorum sunt diversa dierum incrementa. Initio factō ab utroque
latere Äquatoris , quotiescumque quadrante supra 12. horas dies lon-
gissima loci alicujus agetur , toties novus parallelus ducitur , ut ita ex
utrāque parte Äquatoris usque ad 66. Gr. 30. M. , 48. parallelæ li-
neaæ , & simul totidem parallela spatiæ , lineis dictis comprehensa con-
cipiantur , quæ quō viciniora Äquatori , eō majora ; quō remotiora
ab illō , eō sunt minora. Quando ergo queritur , sub quō Parallelō
locus aliquis hæreat , spatiæ æque ac lineaæ parallelæ intelliguntur. Me-
thodus investigandi parallelī hæc est. Ab inventā quantitatē longissi-
mæ diei , subtrahē 12. horas , quoniam Paralleli ab eis locis numerari
incipiunt , quibus 12. horæ longissimam diem constituent. Residuum
per 4. multiplicetur , ideo , quod Paralleli , secundum incrementa lon-
gissimorum dierum , per singulos quadrantes , quorum 4. unam ho-
ram constituunt , numerentur , & compieres , R̄giomontum sub ini-
tio 21. Paralleli figi.

S. XXIII. VI. Perceptō Parallelō , Clima sub quō Regiomon-
sum ponitur , innotescit. Clima , quæ Gassendus inclinamenta ,
seu deflexiones à recto sphæræ situ vocat , à Parallelis quantitate diffe-
runt. Clima enim duos Parallelos complectitur. De numerō cli-
matum ambigitur. Nonnulli VI. tantum concipiunt , quos inter
Joh de S. Bosco c. III. Sphæræ septimum Clima sub Elev. Polijo. Gr.
30. M. finiens , quicquid ultra illud reperitur , sub Clima non compu-
tari scribit , quoū cum prorsus inconveniens sit , alti XXIII. Clima du-
cunt ,

cunt, à Meroë incipientes, & post 66um gradum Latitudinis Borealis desinentes. Quia verò nec iste numerus nœvō caret, melius ex utrāque parte Äquatoris 24, in universum 48 Climata duci concipiuntur, quæ si mensuram temporis species, æqualia sunt, quia singula dimidiae horæ spatiū sibi vindicant; si latitudinem, inæqualia, ampliora Äquatorem versus, angustiora ad Polos, utpote longius à circulo super centrum sphæræ expresso remota, quam rationem assert Theodos. Propos. VI. L. I. Sphæric. Quando itaque scire desideras, sub quō Climate Regiomontum ponи debeat, divide numerum Parallelorum per 2, quia tot Parallelos unum Clima requirit, & comperies urbem hanc in initio XI. Climatis hærere.

S. XXIV. VII. Zone quoq; certa data latitudine Regiomontum subjicere licet. Antiquus est mos, terræ loca ad Zonas reducere, & jam Pythagoræ ætate florens, teste Plutarchò L. III. de placit. Philosoph. c. XIV. Ex nominatâ Latitudine Boreali cognoscimus, Regiomontum ad eam Zonam referri, quam Proclus c. XI. de Sphærâ ēlēḡtōn, καὶ συμέτρως κειμένην τοῦ τοῦ ἡλίου πάρεδον temperatam, & mediocriter ad prætereuntem Solem positam, ac Isidorus Hispal. L. III. Orig. c. XLIII (quod caput L. XIII. c. VI. iisdem ferè verbis repeatit) circulum arcticum appellant. Neque enim calore intolerabili uritur, neque frigore inexpugnabili affligitur. IIX. Distantiam Poli à Zenith Regiom. habebis, si complementum Latitudinis ad quadrantem, dimidium 35. Gr. 17. M. assumas. IX. Elevationem Äquatoris eodem modo deprehendes, sc. 35. Gr. 17. M. quia æqualibus ablati, quæ remanent æqualia sunt, de quō vid §. XV. Porrò. X. Respectu umbrae incole Regiomontani ēt ēmō evadunt i.e tales quorum Umbræ meridianæ Boream versus projiciuntur, quod necessarium esse requisitum Zonæ temperatæ septentrionalis, innuit Strabo L. II. Geogr. in fine, & Cleomedes L. I. κυκλικῆς θεωρίας p. m. 119. Quia namque secundum dogma opticorum, Umbra in oppositam luminosi partem projectatur, Sol autem respectu hujus loci, in parte Austrinâ Meridiem format, sequitur umbras omnes tunc septentrionem versus in nostrâ Urbe dirigi. Conveniunt Regiomontani in eō cum suis Periœcis, differunt ab Antœcis & Antipodibus, quorum puncta, si aliquam corpori humano permittunt stationem, illud umbram meridianam Austrum versus

spar.

sparget, ut ex definitione constat. Singula hæc ad determinandum
situm Geographicum consideratione digna esse, quis non videt?

§. XXV. Satis factum esse arbitramur præcepto Strabonis, &
Ptolemai, qui verbis §. I. allegatis, Geographum circa descriptionem
loci aliquius occupatum, quō modō ille se ad universam terram habe-
at, & quem respectum cœlum versus includat, indicare debere docent.
Restat XI mō ut de stellis nonnulla proferamus. Nam in situ Geographi-
cō determinandō, & earum rationem habendam esse, innuit Ptolemae-
us L. I. Geogr. c. I. quæ stellæ fixæ verticales fiant, & quæ super terram,
quæ sub terrā ferantur semper, significari debere monens. Quæ de
ortu & occasu stellarum, respectu Horizontis Regiomontani dici pos-
sent, ad Astronomos remittimus, hoc unum tangentes, quod Regio-
monti stellæ majores refractiones patiantur, quam alibi, ubi minor est
Elevatio Poli, v. c. Regiomonti Francorum, ubi patria fuit insignis Ma-
themati Joh. de Monte Regiō, sita sub Latit. 48. Gr. 16. M. Quod
stellarum refractiones procreat, atmosphæra est, seu regio vaporum,
quæ si non daretur, neque crepuscula forent neque diluecula, sed ex me-
ris tenebris in meram lūcem, & ex luce in meras tenebras devehere-
mur. Refractionum manifestum documentum præbent Eclipses quæ-
dam Lunæ, Luminaribus supra Horizontem visis observatae, quod nul-
lō modō fieri posset, nisi refractio vel alterutrum, vel utrumque extu-
lisset. Accidit hoc Consulibus duobus Vespasianis, memorante Pli-
nio L. II. Nat. Histor. c. XIII. Idem Moestlinum an. 1590. d. 17. Jul. ad
vertisse, tradit Keplerus in Astronomiâ Opticâ. Hujus Regionis non
eadem ubique facies notatur, sed quod magis locus aliquis Polis appro-
pinquat, eò pingvioribus vaporibus fit obnoxius, & majoribus quoque
gaudet crepusculis, quæ sub polis per totam noctem continuantur, quod
doctè demonstrat Isaac. Voss. in Not. ad Pompon. Melæ L. III. c. VI. v.
64. p. 258. Nimurum in illis terræ tractibus, radii Solis magis magisque
obliqui evadunt, & ideo assurgentes vapores attenuare non possunt.
Hinc cum Belgæ an. 1597. in novâ Zemblâ hibernarent, septendecim dies
citius quam par erat, Solis imago supra Horizontem apparuit, cum So-
lis corpus adhuc infra Horizontem lateret, estque verisimile, quod
etiam apud nos Solis imaginem supra Horizontem conspiciamus, cum
tamen corpus solare infra Horizontem lateat, & vix limbō eundem
stringat. Longomontanus in Astron. Danicâ L. II. Sphær. c. XI. re-
fert,

1884.

fert, quod in locis maritimis, ac Polo Arctico vicinioribus, pro crassitate
aëris constitutione refractiones in immensum varientur, adeo ut
duplò aut etiam triplò majores ibidem fiant, quam in ulteriore Ger-
mania, aut cæceroquin in locis aërem per radios Solis efficaciores de-
puratum habentibus. Expertus est hanc vaporum in Prussia copiam
Nicolaus Copernicus, Fruenburgi oppido, observante Tychone 21. M.
Æqv. à Regiomontò remotò vivens. Hinc vel nunquam, vel raro
Mercurium, sidus non multum à Sole discedens, observare potuit. Pri-
us testatur Nicolaus Müllerius Mathematicus Gröningensis, in Thesau-
ro observationum Astron. Copernic. his verbis: *Mercurium observa-
re non licuit Copernico, ab aëris prope Vistulam crassitatem. Quare
observationes aliunde mutuari coactus est.* Et Joh. Bapt. Ricciolus T.
I. Praef. in Almag. f. 14. sic scribens. *Mercurii dolosum sidus, & ferè semper
sub radiis Solis occultum, Copernico ob Vistulam rapiditatem inobser-
vatum.* Vid. id. Tomus Part. I. L. VII. Sect. I. c. VI. f. 498. Posteriorius
colligitur ex ipsò Copernicò L. V. Revolut. c. XXX. sic loquente. *No-
bis rigenterem plagam inhabitantibus, illam commoditatorem natura
negavit, ubi tranquillitas aëris rarius, ac insuper ob magnam sphæram
oblititudinem rarius sinit videre Mercurium.*

§. XXVI. Minus aptè procedunt illi, qui de situ locorum
agentes, ad Zodiaci signa eos reducunt. Faciunt hoc in primis Astro-
logi, qui ut è melius de urbibus & regionibus præfigia sua instituant,
XII. Zodiaci signis illas subjiciunt. Vide Catalogum provinciarum
& urbium ita digestarum apud Cyprian. Leovit. in Doctr. de Judie.
Nativit. §. 217. Henric. Ranzovium Trattat. Astrolog. part. III. c. XIV.
fin. ubi Prussiam sub Cancrissigno positam deprehendes. Hæc idè
sic ordinant Astrologi, ut themate Genethliacò erecto, de itineribus &
peregrinationibus nati melius judicare queant. Tota hæc distributio
omni prorsus caret fundamento. Si enim (1.) quæras, quæ causa sit,
quod hoc, & non aliud signum dominio hujus aut illius regionis præfici-
ant, nihil solidi responsuros advertes. Quando enim respondent,
imperium signis idè tribui, quod ex Republicæ, quæ eis subjiciuntur,
tunc cœperint, cum illa dominabantur, iterum dubitari potest,
prout responsionem hanc exactius trutinat B. Dn. M. Concius Dissert.
de

7085

de Vanit. Astrolog. art. III. §. 6 , cui adde ea , quæ c. V. Append. ad Ca-
lendar. ann. 1666. differit. (2.) loca quæ signis Zodiaci supponuntur,
eis directè non sub jacent. Perinde ergò videtur, Prussiam sub Cancrō,
ac Solem aut Lunam sub Ursā majore figere. Non fugit nos , quod
hæc tantum de imperiò intellecta velint , sed iterum lutum lutō pur-
gant , & dubium per æque dubium explicant. (3.) quæ ratio allegatur ,
quod loca vicina , sub duobus remotis signis , vel loca remota sub uno
signo ponenda sint ? Ex. gr. Catalogi citati Prussiam sub Cancro , ac
Dantisum sub Scorpione , Alexandriam ac Vormatiam sub Piscibus :
Lipsiam sub Taurō , sed Wittebergam sub Cancro , & quod valde ab-
surdum est , Palæstinam sub V , ast Hierosolymam sub II collocant ,
quasi Hierosolyma extra Palæstinam fuerit ? (4.) signa hæc motu com-
muni circa terram volvuntur. E. stabilis locus sub illis esse nequit.
Apparet facilè , quid de præsagiis , ac judiciis Astrologicis , quæ de urbi-
bus spargi solent , statuendum sit. Lucas Gauricus , Venetiis an. 1552.
Themata urbium edidit , in quibus p. 7. vaticinatur , Bononiam , semper
mansuram esse , sub ditione summorum Pontificum : & p. 9. b. Vene-
tiarum Senatores , ad calcem usque Virginei partus 1280. vel circiter ,
domini sceptra administraturos esse , præsagiat. Fundamentò enim de-
letō , quomodo structura subsistat ? Occupatis circa Astrologicas do-
urbibus cogitationes , occurrit Simonis Starovolscii insulsum de Re-
giomontō nostrō judicium , non secundum astri alicujus significatio-
nem , sed juxta fatui ignis in cerebrō accensi irregularem ductum , ex-
pressum in Descript. Polon. p. m. 171. quod ut charta hæc maculetur ,
indignum judicamus.

S. XXVII. Alia mens fuit Ptolemæo , qui non tam scrupulo-
sam locorum ad signa Zodiaci reductionem à Geographo exigit , sed
hoc vult , ut exploratà dierum ac noctium quantitate , id porro situm
loci determinaturus recenseat , quæ stellæ fixæ verticales fiant , & quæ
super terram , quæque sub terrâ ferantur semper. Observavit hoc
Conradus Celtes , primus in arce Norimbergensi , ann. 1487. manibus
Frieder. III. Imperatoris coronatus Poeta , in Descript. urbis Norimb.
c. VI. ubi asserit , quod Lyra , Capella in Erichthonio , genua Herculis ,
Humerus Bootæ , ala sinistra Cygni , pedes Andromedæ , pars Cas-
siopeæ , umbilicus Persei , & flexura posteriorum pedum ursæ majoris ,
sidera sunt , vertici Norimbergensem ferè imminentia conf. Jacobi Bart-

schii præfatio Planisphærio stellato præmissa. Ipsa Descriptio Norimberga, Exegesi Germania, à Franciscô Irenicô Hagen. 1518. editæ, annexatur. Si causam cognitionis hujus inquiras, respondet Joh. Ant. Maginus Comment. in L. I. Geogr. Ptolem. c. I. Ptolemaum non absignitione dixisse, cognitionem stellarum fixarum verticalium, ac illarum quæ orinuntur, & occidunt in omni loco, altissimam esse & pulcherri-
m, quia admodum curiosa est, & necessaria ad aura mutationes per-
descendas & cognoscendas, & calamitates quæ in quolibet loco occur-
runt, ut sunt pluviae, grandines, nives, venti, tonitrua, aquarum inun-
dationes, annona, famæ, pestis, terra motus, mortalitas gentium, &
similia, qua omnia pendent ut plurimum à variis congressibus Planeta-
rum inter se, & cum stellis fixis, atq; à diversitate ortuum, ac occasuum
stellarum fixarum. Confirmat hoc exemplo Toleti, & Neapolis, quibus
cum caput Medusæ, Saturno M.C. transeunte, ann. 1559. fieret verticale,
hiemem asperissimam alibi satis clemens ac placida esset, procreavit.

S. XXIX. Si jam scire velis, quæ stellæ Regiomonto vel ex-
æte vel proximè sint verticales, triplici modò id explorabis. (1.) ope
Globi coelestis. Observa loci dati punctum distantia ab Äquatore in
Meridianò æreō, & stellas circumvoluto globo, puncto huic supposi-
tas nota, deprehendesque quod Caput Draconis, vertex Cephei,
vertex Erichthonii, collum Cassiopeæ, humerus Persei, & una
ex septem ursæ majoris stellis, ac inter eas quædam propius,
quædam paulò remotius Zenith Regiomontano immineant. (2.) bene-
ficiò Declinationis sideris alicujus, vel per calculum, vel per Tabu-
lam cognitæ. Sienim Declinatio stellæ æqualis fuerit Latitudini loci
dati, colligo stellam hanc ei loco esse verticalem. Ex. gr. Maginus
in Catal. Declinat. stell. part. I V. Isagogicarum inserto notat, quod
Declinatio pectoris Cassiopeæ sit 14. Gr. 2. M. unde concluditur, stel-
lam istam tantum 20. M. à Zenith Regiomontano démoveari. (3.) Satis
aptè stellas verticales discernere valeret, qui observaret modum Rober-
ti Hooke Mathematici Londinensis, quò hic in celebri suâ observatio-
ne utebatur, de quâ conf. ejus Conamen ad motum Telluris proban-
dum excogitatum, & ex sermone Anglicò à Gvilelmo Nicolson ann.
1679 in Latinum translatum. Nimirum erigatur perpendiculariter
telescopium, cui insertus oculus probè distingvere valebit stellas Ze-
nith tuum transeuntes, quas tunc verticales appellabis. Denique si
stellæ, quæ perpetuò apparent, & quæ perpetuò occultantur, item in-

408.0

termedias, quæ aliquando apparent, & aliquando occultantur, indagare velis, per cognitas stellarum Declinationes id præstabis. Si stellæ alicujus Declinatio Borealis, major est complemento Elevationis Poli, stella hæc perpetuò apparet: si minor, stella non semper videtur. Contra. Si stellæ alicujus Declinatio Australis, major est complemento Elevationis Poli, stella hæc semper sub terrâ latet: si minor, non perpetuò conspicitur. Si stellæ Declinatio vel Borealis, vel Australis, convenient profluscam Complemento Elevationis Poli, stella ista vocatur Horizontalis, quia Horizontis Australis vel Borealis partem ambit, neque supra eum attollitur. In globô eodem modo stellas has discernes, item paulò aliter. Stellæ perpetuæ apparitionis respectu Elevationis Poli Regiomontanae innotescunt, ductò ex illô puncto, in quô Meridianus Horizontem in parte Septentrionali secat circulo, suntque: Ursa major, & minor, Draco, Cepheus, Cassiopea. Cognoscentur quoque stellæ quæ præcipuâ, vel aliquâ sui parte semper apparent, ut Lyra, Cygnus, Andromeda, Perseus, Erichthonius, Jordan fluvius, Bootes, Engonasi. Sidera perpetuæ occultationis ex intersectione oppositæ partis Meridiani cum Horizonte explorantur, si nempe sub hâc intersectione circulum circa globum ducas, infra quem stellæ quæ nunquam Regiomonti videntur latent, ut Grus, Indus, Phœnix, Canopus & plures aliæ. Etiam intermedias ac Horizontales cognosces, ac ita Astrognosiam tibi familiarem reddes, locupletataam nuper novis stellarum imaginibus, à Nobiliss. Dn. Hevelio, qui sub ursâ majore duos Canes venaticos 21. stellis exornatos, supra Pegasus lacertam 10. stellis fulgentem, supra caput & tergum Leonis majoris, Leonem minorem 8. stellis designatum, supra aquilam, vulpeculam cum ansere 27. stellis instructam, & plures alias delineat Part. II. Machin. Cœlest. f. 40. Præfat. ad Lector.

S. XXIX. Neque inconveniens est, ut in determinandō, loci alicujus situ Geographicō, Globi arte facti ratio habeatur. Est enim ille objectum secundarium Geographiæ, quæ cum aliis Mathematicis scientiis, hoc privilegiò præ reliquis disciplinis gaudet, ut objectum saum oculis aliquò modō possit exponere. Hinc etiam plura eorum, quæ supra ad definiendum Regiomonti situm Geographicum proferebantur, in globô expediri poterunt. Longitudo, adducto sub Meridianum æreum loco nostrò, & Meridianò primò per additionem, vel

per subtractionem debitè definitò in Äquatore deprehenditur. Latitudo Regioni, in Meridianò æneò, initio ab Äquatore, & progressu ad Polum Arcticum factò exploratur, ultra cuius terminos ex parte Boreali, distantia Zenith à Polo, ex parte Australi Elevatio Äquatoris habetur. Distantiae inter Regionem, & datum quemlibet locum, explorata circinò intercedente, ac ad Äquatorem translatâ, gradibus per 15. in milliaria resolutis investigabuntur. Paralleli & Climata in Globo incommodè concipiuntur, quia non secundum incrementa dierum, per quadrantes; sed per decimum quemvis Meridiani gradum expressi sunt Paralleli. Locus urbis nostræ reperietur, si Longitudo & Latitudo ejusdem debitè determinatae fuerint. Interseccio quippe Meridiani & Paralleli, punctum manifestat, in quo vel expressè figitur, vel jure figi debet. In mappis idem locus abscissis filò vel regulâ æqualibus cum Meridiani, tum Äquatoris gradibus, in puncto intersectionis ostenditur.

§. XXX. Quæ hactenus de situ Regiomonti Geographicò prolixius dicta sunt, in breviores arctaturi lineas, dicimus, Regiomontum, Metropolin Prussiæ Ducalis, sub longitudinis 42. Gr. 42. M. sitam esse, ut ostenditur §. XIV, Latitudinem 54. Gr. 43. M. definitam habere, quod probatur §. XVI. & propterea Elevationem Äquatoris, nec non distantiam Zenith à Polo 35. Gr. 17. M. numerare, juxta §. XXIV. Die longissima 17. H. 3. M. 18. Sec. gaudere (§. XXI.) ac ideo sub initio Paralleli 2imi (§. XXII.) in principio Climatis XI. (§. XXIII.) in Zonâ temperata Septentrionali, umbras meridianas tantum Boream versus dirigente (§. XXIV.) constitui, cuius Horizonti stellæ Polares Arctica præcipue semper apparent, Antæcticæ præcipue semper absconduntur, prout id ex §. XXIX. innotuit. His omnibus situm Regiomonti Geographicum exactè delineatum esse arbitramur. Quod ad situm ejus naturalem attinet, Colophonis spatiū occupent verba quædam Camilli, ex Oratione, quam recitat Livius, de Româ non deserendâ. L. V. c. LIV. Non sine causa Dii (DEUS) hominesq; hunc urbi condenda locum elegerunt, saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quâ maritimi commeatus accipientur; mare vicinum ad commodates, nec expositum nimis propinquitate ad pericula classium externarum - ad incrementum urbis natum unicè locum.

COROL-

COROLLARIA;

I. EX HISTORIA.

I.

Novam de terræ figurâ opinionem, Childræus Anglus putatur protulisse, quando desumpto à nivibus, sub utrōque Polò cumulatis, argumento, eam ovalem esse pronunciavit: (vid Tom III. Ephe- meridum Erudit. Gall. ad ann. 1667. d. 13. Jun. p. m. 701. Latinè Inter- prete Fried. Nitzschio Ed. Lipl. & Francof. 1671.) quam tamen, jam du- dum ante eum, ab aliis defensam fuisse, existimamus.

II.

Non à quolibet assensum impetrabit Philipp. Andr. Oldenburg. JCtus Genevensis, in Thesauro Rerumpl. sub nomine Conringii edito, part. I. Tit. II. §. VI. p. 353, de Portugallis, sine discrimine referens, quod aquæ potu contenti vivant. Verba ejus hæc sunt. *Non hor- adeo adeo illi (Portugalli) indigent quam nos, ex quod cerevisiam coqui- mus. Utuntur enim illi aqua ad potum. Vinum quoq; erexit, quod, quia nec eò ad potum utuntur, exportare solent. Addit in margine: Lusitanorum potus est aqua.*

III.

Traditio, de facie Christi linteo impressa, suspecta ac fabulosa est. Obtinuit tamen jus civitatis Romæ, ubi imago faciei à Christo ipso, ad passionis locum tracto, sudario inserta, ac Veronicæ oblata, à Pontificiis superstitione cultu honoratur, de quod vid. B. Chemnit. Exam. Concil. Trident. de Imagin. f. m. 706, & de Indulg. f. 739. item B. Gerhardi Tom. III. Confess. Cathol. art. X. c. III. f. m. 613. Eadem tra- ditio aliò tibicine fulcitur. Evagr. L. IV. Histor. Eccles. c. XXVI. & Niceph. Callist. L. II. Hist. Eccles. c. VII. testantur, quod Christus, pi- cto frumenta defudante, faciei suæ imaginem linteo inditam, Abgaro, quem alii Agbarum appellant, quique ab Euseb. L. I. Hist. Eccles. c. XIII. Rex & Toparcha Edessenorum nominatur, in solatium denegati adven- tus transmisserit, quam insuper, à Persarum Regis, pictore delineatam fuisse, Nicophorus L. c. ex archivis urbis Edessa allegat.

IV.

Liberè quidem, sed non absurdè Auctores nonnulli loquuntur, quando Saxoniam Prussiam conterminam constitunt. Faciunt hoc Rapha-

Raphael Volateranus L. VII. Geogr. f. 79-b. Carolus Stephani in Dic.
Histor. Geogr. sub voce Saxonum f. m. 1782, & Morisotus L. II. Orbis
Marit. c. XXXIII. circa finem.

II. EX ASTRONOMIA.

V.

Circulus nonagesimi gradus non est negligendus in Sphaericis.

V I.

Unum idemque sidus, in unō eodemque Horizonte, unō eodemque tempore, oriendō occidere, & postea occidendo oriri potest.

V I I.

Ad determinandum verum locum sideris, multum prodest refractionum & parallaxium rationem habere. Quod ad Parallaxes attinet, Veteres eis curam impendisse, ex Ptolemaeo liquet. Refractiones vero rem novam, & ante Tychonem, nondum inter observationes repertam, vocat Longomont. L. I. Theoric. c. IX. p. 158.

I I X.

Eclipsin Solis, quæ tempore passionis Christi observabatur, miraculosam & supernaturalem fuisse, defendere neutquam dubitamus.

III. EX ARITHMETICA.

I X.

Non semper multiplicandō augmentur numeri, sed quandoque minuantur.

X.

Regula DESSES multum differt à Regulâ PIGRA.

X I.

Quæ vulgo Regula Falsi nominatur, etiam Regula Veri appellari meretur.

X I I.

Dari potest numerus, ipso nihilo minor.

SOLI DEO GLORIA.

